

**05**

**A**

**433**









vorg.

ΟΡΘΟΔΟΞΙΑΣ

*De*

CERTITUDINE GRA-  
TIÆ DEI,

*Adversus*

Præcipuos Pontificios Bellarminum,  
Becanum & Costerum,  
ASSERTIO,

*Quam in*

Celeberrimâ Wittebergenfi Academiâ  
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,  
SUB PRÆSIDIO

*Plurimum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi Viri*

DN. WILHELMI LYSERI,

S.S. Theol. Doctoris & Professoris celeberrimi, Præ-  
ceptoris, Promotoris & Inspectoris sui omni ob-  
servantiæ cultu venerandi,

*Publico Examine submittit*

GEORGIUS Gottleben / Lubecensis,  
Auth. & Respond.

*Ad diem XVIII. Februarij, In Auditorio Majori.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
ANNO MDCXLI.







05 A 433

Georgius S. 17

1734. 1735.







# Prooemium.



Megalander noster *Lutherus* in *In cap 41.*  
 aureo suo commentario *super Genesin*, *Genes. fol.*  
 quando contra dubitationem Romanen- *608. Tom.*  
 sium differit, inter alia hæc habet: *Horribilis VI. Witte-*  
*berg.*  
*Error fuit doctrina Pontificia, quo hominibus aucto-*  
*res fuerunt, ut ambigerent de remissione peccatorum*

*& gratia.* Cujus effati rationes habuit & multas & graves.  
 Nos pauca eruemus. Dubitatio enim contumeliosa est in *Spiri-*  
*tum Sanctum*, cuius officium est, fideles in quibus habitat, certos redde-  
 re de gratia DEI. Unde *& Spiritus rectus sive certus dicitur Ps. 51. v. 12.*  
*Spiritus enim rectus aut certus est qui reddit nos certos de voluntate,*  
*qui non sinit nos dubitare, sed efficit hoc quod Paulus monet: Unus quis-*  
*que suo sensu abundet Rom. 14. v. 4. Item 1. Thes. 1. Evangelium no-*  
*strum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute & in Spiritu*  
*Sancto καὶ ἐν πληροφωρίᾳ πολλῇ,* quæ certitudo necessaria est in omni  
 genere doctrinae praesertim sacrae. Certus enim esse debeo quid mihi de  
 DEO sentiendum sit, vel potius quid de me ipse sentiat. Insuper &  
 injuriosa est dubitatio in DEUM quem facit incertum, ambiguum,  
 equivocum, lubricum instar vagæ arundinis, qui tamen est univocus  
 & certus. Quin & iniqua est dubitatio in Baptismum, qui irri-  
 tus, in absolutionem & cenam Domini quæ inanis foret, si dubitatio-  
 ni locus relinquendus esset. Imò verò dubitatio Christianismum  
 tollit. Nam hæc incertitudo tollit mihi meum baptismum & gratiam:  
 frustra sum Christianus, frustra laboro & vivo. Quæ & plures alia  
 causæ moverunt, acerrimum illum Evangelicæ Veritatis pro-  
 pagatorem & propugnatorem, ut Pontificium hoc dogma to-  
 to animo & pectore detestaretur. Unde & alibi in illud inve-  
 hitur, & monstrum hoc dubitationis pestiferam & pest. lentissi- *In comm.*  
 mam opinionem vocat, quæ doctrinam fidei obruat, fidem evertat, con- *Epistol. ad*  
 scientias perturbet, dona & beneficia Spiritus Sancti obscuret, verum *Gal. c. 4.*





*DEI cultum abroget, idololatriam, contemptum & blasphemiam DEI in cordibus erigat.* Cui gravissimæ sententiæ cum & nos & manu & animo subscribamus, non possumus etiam non ut execrari Academicam illam de gratia DEI incertitudinem, quam Antichristus ille Romanus sub anathematis fulmine Ecclesiæ Christi obtrudere non erubescit; ita amplecti ambabus manibus dulcissimam illam de certitudine gratiæ certitudinem. Quæ doctrina cum non indigna sit, quæ sæpius repetatur, cum non modo Pontifex Romanus suum in nos fulmen repetat, & Diabolus omnis erroris parens & sator suos insultus, & caro nostra susurros quandoque suos, non abs re nos facturos arbitramur, si arma ista, quæ instructissimum illud DEI armamentarium, Scriptura sacra nobis contra infensissimos istos hostes suppeditat, producamus, producta arripiamus, arrepta usurpemus, ut exercitati in hoc conflictu milites, nunquam hastam abjiciamus. Quod equidem fiet, si Orthodoxiam in hoc doctrinæ genere adstructum, Heterodoxiam destructum ire non desinamus. Cui operæ ut nostram etiam operam addicamus, animus est impræsentiarum, Orthodoxam nostræ Ecclesiæ sententiam de Certitudine Gratia ex Verbo DEI proponere & ab exceptionibus *Bellarmini* præcipue & *Becani* ut & *Costeri* vindicare. Ad quod opus antequam nos accingimus, à DEO ter Opt. Max. etiam atque etiam petimus, ut nobis de Gratiâ suâ certis, liceat de ejusdem certitudine certa proponere & propugnare, in Gratia Divinæ gloriæ & nostræ Certitudinis firmamentum, Amen.

Controversiam autem hanc nostram duobus Capitibus includere possumus, ita, ut in priore terminos explicemus & Controversiæ statum formemus; in posteriore verò argumenta Orthodoxam sententiam firmantia producamus. Sit igitur quod Deus felix esse jubeat,

## CAPUT I.

### THESIS I.

**C**um erroris mater sit ambiguitas, operæ pretium nos facturos arbitramur, si terminos qui præcipuè in præsentibus  
Con-



Controversiâ occurrunt, ab omni ambiguitate liberemus. Sunt verò illi qui maximè luculentâ evolutione opus habere videntur, *Fides, Certitudo, Gratia.*

II. I. Fides in sacris literis *multifariam* accipitur. Variantes tamen significationes in ordinem redigi possunt, quem nos triplicem facimus. Primum ordinem constituimus ex illis locis, in quibus fides *activè* sumitur pro *constantia & veritate in dictis & factis*, ubi & (a) DEO; & (b) Christo; & hominibus (c) tribuitur.

(a) Pf. 33. v. 4  
Pf. 86. v. 15.  
Rom. 3. v. 3.  
(b) Es. 11. v. 5  
(c) 2. Sam. 15  
v. 20. Matt.  
23. v. 23. Gal.  
5. v. 22.

III. Secundum ex illis in quibus fides *passivè* accipitur pro eâ, quâ credimus, fide. Ubi I. notat fidem (a) *historicam*. 2. *generalem* (b) *assensum*. 3. *nudam fidei* (c) *professionem*. 4. fidem (d) *miraculorum*. 5. *libertatis Christianæ* (e) *cognitionem*. 6. fidem (f) *justificantem*.

1. Tim. 5, 22.  
Jer. 7. v. 28.  
(a) Exod. 14.  
v. 31. Joh. 5.  
v. 46. Jac. 2.  
v. 14.


IV. Tertium ordinem ex illis, ubi fides *objectivè* intelligenda venit pro eâ quam credimus fide, sive pro doctrinâ divinitus revelatâ, eâque vel *in genere, omni* (g), vel *in specie, Evangelij* (b) & *exhibiti* (i) *Messia*, vel *Articulorum fundamentalium*. (k) Plura loca qui desiderat, ubi fides *objectivè* accipitur, conferre potest sequentia. Act. 6. v. 7. c. 14. v. 27. c. 24. v. 24. Rom. 1. v. 5. c. 3. v. 31.

(b) Jac. 2, 19.  
(c) ibid v 14  
(d) Matt. 27.  
v. 20. Luc. 17  
v. 16. 1. Cor.  
13. v. 2.  
(e) Rom. 14.  
v. 22.

V. In præsentî quæstione *fidem justificantem* attendimus, quæ cum non modo *assensus* sit, sed & *notitia & fiducia* (l), eaque quidem quâ notitia est & assensus, *omne & solum DEI verbum*; quâ fiducia, *omnes promissiones divinas*, (sive spiritualia sive temporalia bona concernant) sed tamen *in exercitio pietatis*, pro objecto (m) habet, in ipso verò justificationis officio, tantum illud *promissionis verbum de gratiâ & misericordiâ DEI* (n) *peccata propter Christum fide receptum remittentis & credentes ad aternam vitam adoptantis*. Alia enim est fides *generalis*, quæ illa quæ in Sacra Scripturâ continentur, vera cognoscit esse omnia, *qualis* non modo (o) in *irregénitos*, sed etiam in ipsos (p) *Diabolos* cadit: alia *specialis*, quæ apprehendit divinam misericordiam (q) *peccata propter Christum remittentem*.

(f) Matth. 8.  
v. 10. c. 9. v. 2.  
Act. 6. v. 18  
Rom. 3. v. 26  
Gal. 2. v. 16.  
(g) Gal. 6, 10  
c. 1. v. 23.  
Jud. v 3.  
(h) Rom. 3.  
v. 27. Gal. 3.  
v. 2.  
(i) Gal 3, 23.  
(k) Rō. 12, 6.  
(l) Joh. 14.  
v. 10. 11.  
(m) Act. 24.  
v. 14. c. 27, 25

(n) Rom. 3. v. 23. 24. 25. Act. 13. v. 28. c. 26. v. 18. (o) Act. 26. v. 26. (p) Jac. 2. v. 19. (q) Rom. 4. v. 5. 23. 24. 25.





VI. Certitudo alia est atque alia. Describitur quod sit *firmitas adhesionis virtutis cognitiva ad suum cognoscibile*, ut habet Altenstaig in Lexico, vel clarius; quod sit *firmitas quâ potentia cognoscendi, rei quam cognoscit, non aliter adhaeret, ac si illam coram cernebat & oculis usurparet*: vel brevius; quod sit *firmitas veritatis vel circa veritatem*. Hæc, quam modo descripsimus certitudinem, vel est *objecti*, & est *immutabilitas rei, quæ revera se non aliter habere potest, quàm cognoscitur*: vel *subjecti*, & est *modus cognoscendi, juxta quam intellectus cognoscit & objectum prout est, & se cognoscere*. Hæc, non illa est hujus loci: quanquam nec illa Pontificijs certa sit vel esse possit. Non quoad ipsam gratiam justificantem, quæ non datur, ut Pontificij eam pingunt & fingunt. Non quoad media offerendi, quæ vel falsò exponunt, promissiones Evangelicas in legales mutando, sacramentis ex opere operato justificationem tribuendo; vel temerè multiplicant, dum non modo Pœnitentiæ, sed & Confirmationi, Ordini Extremæ Unctioni & Matrimonio justificantem (a) gratiam adscribunt, quin & satisfactionibus sive proprijs sive alienis; vel sacrilegè mutilant, dum calicem benedictum, qui in remissionem peccatorum effunditur, Laicis surripiunt. Non quoad causam impulsivam, quam dum etiam Sanctis communem faciunt, quæ tamen est solius Christi meritum & intercessio, nihil aliud efficiant, quam ut conscientias modo huc modo illuc distrahant, utpote quæ scire non queunt ad quem potissimum Sanctorum hîc & nunc se convertere debeant. Non quoad offerendi modum, qui dubius est: cum profiteantur, alij offerri remissionem ab omnibus peccatis & pœnis statim, alij non: siquidem quibusdam pœnæ temporales reserventur satisfactionibus sive sponte susceptis, sive impositis expiandæ. Non quoad causam ministerialem: à cujus intentione cum suspendant efficaciam Sacramentorum, ut illa, sic & hæc nemini certa esse potest infallibiliter.

(a) Concil.  
Trident.  
Sess. 7. can.  
6. 7.

VII. Certitudo denique *ratione principij alia est divina, alia humana*. Divina oritur ex *revelatione DEI* vel *extraordinariâ* Num. 12. v. 6. descriptâ, quæ jam in negotio salutis nec est nec speranda Luc. 16. v. 29. 30. 31. Heb. 1. v. 1. vel *ordinariâ in verbo scripto* Joh. 5.



Joh. 5. v. 39. 40. in quo cum promissiones divinæ generales quæ fallere non possunt, Ps. 33. v. 4. habeantur, quilibet fidelis legitimam subsumptionem facere potest, cujus veritas tum ex recognitione infallibilium notarum, tum ex interno Spiritus Sancti testimonio infallibiliter est cognoscibilis. Quam certitudinem, non possumus non mirari, quid Bellarmino in mentem venerit, quod proclamitet (a) obscuram, & tamen eandem describat quod sit absolutè & simpliciter certitudo (b). Non possunt hæc simul consistere, unum alterum tollit. Quod si Bellarminus *Augustinum* audire voluisset, utique certitudinem divinam ad classem certitudinis evidentis retulisset, maximè si non immemor fuisset suæ ipsius descriptionis, quod certitudo evidens sit earum rerum, quæ aliquo (c) modo videntur. Jam verò fides aliquo modo videtur juxta *Augustinum*, qui ita habet: *Fidem ipsam (d) videt quisque in corde suo, si credit, & non esse, si non credit*; Ergo ejus certitudo erit evidens dicenda & non obscura.

(a) lib. 3. de Justificat. c. 3. §. Certitudo obscura.  
 (b) §. eodē.  
 (c) l. c. §. sed est alia.  
 (d) lib. 13. de Trinit. cap. 1.

VIII. De certitudine *humanâ* quæ est earum rerum quæ ob autoritatem humanam creduntur ut vult *Bellarminus*. (d) non adeò sumus solliciti: nihil enim ea ad nostrum scopum facit: tantum monemus, *Bellarminum*, quando certitudinem conjecturalem dicit, quæ tot signis & conjecturis nititur, ut securum hominem reddat, & anxietatem excludat, non tamen formidinem omnem expellat, seipsum implicare, non modò dum anxietatis exclusionem de conjecturali certitudine & affirmat & negat, sed etiam dum talem certitudinem ponit, quæ cum certitudinis descriptione quam ipse dedit, adversâ fronte concurrat. Ea verò sic habet: *Certitudo nihil aliud esse videtur, nisi firmitas quedam & immutabilitas veritatis. Illud enim (e) dicitur certum, quod exploratè & immobiliter verum est.* Quæ descriptio si consistere debet, concidit conjecturalis certitudo & nil nisi mera incertitudo & dubitatio erit.

(d) l. c. §. Certitudo obscura est.  
 (e) l. c. §. Certitudo igitur p. 238

IX. 3. Gratia vocabulum in Sacris literis itidem non est unius significationis. Primaria & quæ in præsentì controversiâ sibi principem locum vendicat, est, quando pro favore, benivolentiâ



*volentiâ & misericordiâ DEI* accipitur. Loca hinc inde occurrunt Nos paucis contenti erimus & quidem his, quæ sequuntur Act.15.v.40. 2.Tim.1.v.9 Heb.4.v.16. Tit.3 v.7. Eph 1.v.6. in quo posteriori loco ipse *Bellarminus* agnoscit, (a) *gratiam pro DEI favore* accipiendam esse. Reliquæ significationes, quæ multiplices sunt, huic primariæ ortum suum debent. Significat verò insuper gratia 1. *dona* (b) *gratuita*, 2. *gratiositatem* (c), 3. *gratis* (d) *beneficium*, 4. *gratiarum* (e) *actionem*, 5. *gaudium* (f), 6. *Eleemosynam* (g). Plura significata referuntur alibi.

X. Explicatis verò jam præcipuis terminis, sequitur, ut de statu quæstionis formando simus solliciti, qui nisi legitime constituatur, frustra erit, quicquid contra Adversarios machinabimur, qui, ut sunt versutissimi, varias formas instar Polyphi noverunt induere. Illud verò commodissimè fieri poterit, si 1. ea, quæ in quæstionem non veniunt, ab hac controversia exesse jubeamus, & 2. remotis incompetentibus quæstionibus, verum & legitimum quæstionis statum in clarâ luce collochemus.

XI. Removemus igitur ab hac nostrâ quæstione fidem *Hæreticorum* ipsum fidei fundamentum convellentium qui sibi non gratiam sed iram DEI polliceri debent, utpote operam dantes rei, quæ inter carnis opera (b) refertur. 2. *Epicuræorum*, qui gratiam DEI (i) in lasciviam vertunt, non attendentes, veræ fidei hanc indolem esse, quod se per bona opera (k) conspicuam faciat. 3. *Historicam*, quam (l) *irregenerati* ut & *Diabolici* habere possunt. 4. *Miraculosam*, quæ etiam in *Hypocritas* (m) cadit.

XII. Nec 5. requirimus *precisè* fidem masculam & intrepidam. Novimus enim, quæ est nostra imbecillitas, sæpius contingere, maximè sub cruce & tentationis tempore, ut languescat fides; quam ipsam, utut exiguam, quantisper non cedit tentationibus nec succumbit, tantisper hinc sequestrare non possumus. Fides enim, etiam infirma (n) fides est, quantumvis non sit (o) magna. Fides verò illa infirma precibus, Verbi divini auditu & Sacræ Cœnæ usu corroboranda

XIII. Nec

(a) lib. 1. de grat. & lib. arbit. c. 2. §. 1. p. 131.  
 (b) 2. Cor. 11 v. 12. Eph. 4. v. 6. Act. 11. v. 23. 1. Pet. 4. v. 10. Rō. 6. v. 23.  
 (c) Luc. 2. v. 52. Eph. 4. v. 29.  
 (d) Luc. 6. v. 33. c. 12. v. 9. c. 17. v. 9  
 (e) 1. Cor. 10 v. 30.  
 (f) 2. Cor. 1. v. 15. Phil. lem. v. 7.  
 (g) 2. Cor. 8. v. 4. 1. Cor. 16. v. 3.  
 (h) Gal. 5. v. 20.  
 (i) Judæ v. 4.  
 (k) Jac. 2. v. 26. 18. Gal. 5. v. 6.  
 (l) Act. 26. v. 27.  
 (m) Matt. 6. v. 22. 23.  
 (n) Marc. 9. v. 24. Rom. 14. v. 2.  
 Zach. 12. v. 7  
 (o) Matt. 8. v. 10. c. 9. v. 23.

XIII. Nec



XIII. Nec 6. quaeritur, *an fideles in vero DEI timore ambulare debeant?* Timor enim ille cum certitudine non pugnat, sed amicè conspirat: est enim filialis timor. Neque 7. quaestio est *de Electionis & perseverantiae certitudine.* Ea enim ordinata est & non absoluta, nisi respectu DEI, qui perficere vult usque ad diem Jesu Christi bonum illud opus, quod in nobis coepit: haec verò, nimirum praesentis gratiae certitudo, etiam respectu nostri absoluta esse potest, ut illa fieri, quando ad ultimum vitae terminum perventum est. Distinctae igitur quaestiones, quantumvis cognatae, non tamen confundendae sunt.

XIV. Neque 8. controversia est *de Certitudine, ruinoso vel operum nostrorum vel externorum eventuum fundamento innitente.* Ut enim illa, imperfecta cum sint Esa. 64. v. 6. justum DEI iudicium sustinere nequeunt, Psal. 143. v. 2. aut ullam trepidantem conscientiam tranquillare; ita nec hi, ut qui bonis aequè accidunt atque malis, gignere possunt certitudinem. Neque 9. disputatur *de Certitudine Objecti*, quae in rei quae creditur, constanti veritate (quanquam & de hac alibi disputari contra Pontificios possit) sed *de Certitudine Subiecti*, quae in proprio cujusque fidelis sensu consistit. Neque 10. *de Certitudine vel naturali*, quae per intellectus lumen, vel, 11. *extraordinaria*, quae per singularem revelationem, qualis hoc tempore nulla, vel, 12. *individuali* illa sermo est, quae per expressam uniuscujusque fidelis denominationem in Scripturam habeatur, ut v. g. Tu Paule, &c. credis. Id enim ut non necessarium, sic insanum opus foret, cui citra omnem Hyperbolen applicari posset illud *Johannis Evangelista*, quod *mundus non capturus esset, qui scribendi libros*, uti rectè alicubi monet *Reverendus admodum & Amplissimus D. D. Hulsemannus (a) Praeceptor & Promotor meus (a) in Manual. A.C.*

XV. Verum, 13. quaestio est *de Certitudine fidei innitenti* pro-  
 missionibus à veracissimo DEO omnibus & singulis credentibus in Scri-  
 pturâ Sacrà propositis. Verus igitur & legitimus controversiae  
 status, ut brevibus eum complectamur, hic erit: *An homo cre-*  
*dens certitudine fidei divinis promissionibus innitenti de praesente gra-*  
*tia DEI certus esse possit & debeat.* Nos in *Affirmantium*, Ponti-  
 ficij,  
 B



ficij, in *Neg. sententiam* partem abeunt. Quare nobis despiciendum erit, ut nostram & eam Orthodoxam sententiam ex immotis Scripturæ fundamentis adstruamus.

XVI. Pergimus igitur ad disputationis nostræ CAPUT SECUNDUM, In quo Orthodoxæ sententiæ fundamenta sistenda sunt, quæ quinque membris includimus. Primum membrum continebit aperta Scripturæ dicta: Secundum exempla: Tertium, rationes ex Scripturâ deductas: Quartum, testimonia Catholicæ Ecclesiæ: Quintum, ipsorum Adversariorum confessionem. Verùm cum longum foret, omnia membra unâ hac disputatione persequi, duo priora membra utpote præcipua hac vice persequemur.

## CAP. II.

### MEMBRUM I.

XVII. Et primum quidem Orthodoxæ sententiæ fundamentum desumimus ex dictis justificam fidem describentibus, quæ duplicia occurrunt. Vel enim loquuntur de fide, quatenus est *notitia*, vel quatenus *fiducia*, & sic duplex nobis argumentum subministrant.

XVIII. Ex eo verò, quod fides est certa *notitia*, hoc nobis oritur argumentum. Quicquid fideles sciunt & cognoscunt, de eo certi esse possunt & debent. Atqui DEI erga se gratiam sciunt & cognoscunt. E. de gratia DEI erga se certi esse possunt & debent. Major non indiget operosa probatione, cum notissimum sit, scientiam in eo ab opinione differre quod certum reddat animum neque dubium relinquat. Minorem probamus sequentibus dictis. Primum est: *Nos scimus, quod translati (a) sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Ex quo loco hoc necimus argumentum: Quicumque sciunt se à morte in vitam translatos esse, illi sciunt se esse in gratiâ apud DEUM. Fideles sciunt se à morte ad vitam translatos esse. E. Major patet, quia translatio à morte ad vitam nihil aliud est quam translatio ex statu iræ in statum gratiæ, ut ex Ephes. 2. v. 4. & Coll. 2. v. 13. videre est. Minor est Apostoli.

(a) 1. Joh. 3.  
v. 14.

XIX. Ex-



XIX. Excipit I. *Becanus*; (a) *Johannem loqui non de notitia fidei, sed de conjecturali, que non in revelatione, sed in signo & effectu fundetur.* Idem sentit (b) *Bellarminus*. Resp. Imò verò quia ab effectu immediato ad causam datur firma demonstratio, ideò non conjecturalis sed apodictica est illatio & certissima. Qui enim diligit fratres, is translatus est à morte ad vitam. Subsumit fideles, Ego diligo fratres. E. à morte ad vitam translatus sum & per consequens, in gratiâ apud DEUM. Subsumere verò ita fidelis potest, & quidem tutò, quando seipsum excutit & dilectionem suam erga proximum, ad præscriptum Sacræ Scripturæ, & vel versiculi decimi octavi hujus capituli (*Filioli mei ne diligamus verbo neq; linguâ sed opere & veritate*) examinat. Neq; opus est speciali revelatione, sufficit generalis revelatio in Scripturis facta, quæ hanc ponit majorem: *Qui diligit fratrem, is est à morte ad vitam translatus.* Subsumtionem quam quilibet fidelis facit, confirmat Spiritus Sanctus interno suo testimonio, ideò non potest non esse firmissima, docente hoc ipsum Apostolo: *Cognoscimus, quod DEUS in nobis manet, ex Spiritu quem (c) dedit nobis.* Spiritus verò Sancti testimonium internum æquivalet speciali revelationi & quia infallibile, non potest non certos reddere credentes. Quin imò ex *Becano* contra *Becanum* (quandoquidem concedit *affectum charitatis non esse posse in fidelibus nisi à DEO,*) ita argumentamur: *In quibuscunque est talis affectus, qui non potest esse nisi à DEO specialiter homines istos diligente, illi certi esse possunt de gratiâ DEI.* Atqui in omnibus fidelibus est talis affectus. E. Majoris consequentia patet. Donum enim donatoris benivolentiam præsupponit & demonstrat. Vel si mavelit, ita formamus argumentum: *Quicumque in se habent donum specialis gratiæ divinæ, sed tamen ordinariæ illi de gratiâ divinâ certi esse possunt & debent.* Atqui omnes fideles habent in se donum specialis gratiæ divinæ, sed tamen ordinariæ. E. certi esse possunt de gratiâ divinâ. Huc respexit *Augustinus* (d) ita in hunc locum commentans. *Quid scimus? quia transivimus de morte ad vitam. Unde scitis? quia diligimus fratres. Nemo interroget hominem, redeat unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transit à morte ad vitam.* Quo ipso si-

(a) lib. 1. c. 16  
de iustif.  
§. 12. p. 439.  
(b) lib. 3. de  
iustif. c. 9.  
L. B.

(c) l. c. v. 24.

(d) Aug.  
tractat. 6. in  
Epist. Job.



mul profligat Venerandus Pater reliquas Bellarmini excepti-  
(a) lib. 8. de unculas; præsertim cum alibi (a) fateatur: *Qui diligit fratrem,*  
Trinit. c. 8. *magis novit dilectionem, qua diligit, quam r. tr. n. qui diligit.*

(b) In En- XX. Excipit 2. *Costerus. Vitam non pro justificatione (b) accipi,*  
chirid. c. 4. *sed pro vitâ eternâ, hoc sensu: Scimus nos heredes regni cælestis scri-*  
de Fide p. *ptos & instructos, dummodo proximos diligamus, ut Vox (quoniam) pro*  
181. *(S) conditionali ponatur.* Resp. 1. Si vel maximè explicatio-

nem Costerianam admitteremus, nihil inde Orthodoxæ veri-  
tati derogaretur, siquidem illa nihilominus recto stare-  
tali. Nam si fideles scire possunt, se scriptos esse hæredes vitæ æter-  
næ, utique etiam scire poterunt, se esse in gratiâ apud DEUM.  
Ratio est hæc, quia nemo scribitur hæres vitæ æternæ, nisi sit  
(c) Rom. 8. (c) filius gratiæ five adoptionis. 2. Vita hîc non præcisè notat:  
v. 17. æternam vitam, etiam si connotet, sed vitam spiritualem, quæ  
in hâc vitâ inchoatur, & in alterâ consummatur. Id quod  
nos docet oppositio. Qualis enim mors est, quæ vitæ huic op-  
ponitur, talis etiam erit vita hîc intelligenda, sed non præcisè  
mors gloriæ, sed etiam gratiæ opponitur huic vitæ. E. Major  
patet: Contrariorum enim contraria est ratio. Minor pro-  
batur ex subsequentiis verbis: *Qui non diligit fratrem manet in*

*morte:* ubi, manere in morte, opponitur ~~ita~~ transferri à morte  
in vitam. At mors, in qua manet non diligens fratrem, non est  
tantum mors gloriæ, sed cum primis mors gratiæ. 3. Nulla  
nos cogit necessitas ut significationem conditionalem hîc  
ponamus. Retinemus igitur hujus particulæ illam significa-  
tionem, quam contextus infert. Apostolus ab effectu arguit  
causam. Quare *to' o'ti* hîc erit nota consequentiæ & cognitio-  
nis, sicuti agnoscunt Commentatores Pontificij *Stapletonus,*  
(d) l. 2. spe- *Lorinus, Gagneus, Estius,* qui (d) apud *B. Gerb. in Confess. Cathol.*  
cial. part. 3. *videri possunt.* Exempla istius significationis plura qui desi-  
art. 16. c. 3. *derat, adeat Cl. Gl. sium (e) in Grammaticâ sacrâ.*  
p. 335.

(e) lib. 3. XXI. Secundum: *Nos verò non mundi (f) spiritum accipimus,*  
tract. 7. de *sed spiritum qui est ex DEO, ut sciamus, quæ à Christo donata sint no-*  
Coni. c. 17. *bis.* Argumentamur: *Quicumque sciunt ea quæ ipsis à Christo sunt*  
p. 176. 177 *donata, ii quoque sciunt, sibi donatam esse remissionem peccatorum &*  
(f) 1. Cor. 2. *consequenter se esse ingratiâ apud DEUM. At Fideles sciunt ea, quæ*  
1. 17. *ipsis*



*ipsis à Christo sunt donata. Ergo fideles sciunt sibi donata esse remissionem peccatorum & consequenter se esse in gratia apud DEUM.*

Connexio Majoris est manifesta. Nam inter ea, quæ à Christo donantur, non ultimum donum est (a) remissio peccatorum.

(a) Luc. I. v. 77. c. 24. v. 47.

XXII. Excipit i. Becanus (b) Paulum loqui de donis gloriae in altera vita expectandis, non verò de gratia donis: de quibus questio est: idq; probat ex v. 9. 10. Resp. Distinctionem inter dona gratiae & gloriae admittimus, sed distinctionis istius applicationem ad hunc locum repudiamus. Nam Apostolus in dicitur loquitur de iis, quæ à Christo nobis donata sunt; ea verò non sunt tantum dona gloriae, sed & dona gratiae, adoptio, remissio peccatorum, reconciliatio cum DEO, & quæ sunt plura alia. Imò verò nemo potest scire sibi donata esse dona gloriae nisi prius dona gratiae sibi donata esse sciat, ex his enim de illis (c) certi sumus. Quare ex hac ipsa distinctione Becanum refutamus: Quicumque sciunt sibi donata esse dona gloriae, illi sciunt se esse in gratia apud DEUM. Atqui fideles sciunt &c. E. Major patet. Nam dona gloriae nemini donantur, imò nec promittuntur, nisi charissimis DEI filiis. Quod verò attinet verbum nonum ( quæ oculos non vidit nec auris audivit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ preparavit DEUS diligentibus se ) is non probat, de gloriae tantum donis verba fieri: id quod i. ex scopo Apostoli patet, qui adducto ex Esaiâ testimonio probare volebat, neminem etiam sapientissimorum hujus seculi cognoscere potuisse sapientiam illam DEI, quam Apostolus loquebatur. Ea verò sapientia non erat in specie vita aeterna, sed totum salutis nostrae mysterium. Argumentamur: Quocumque dicto Apostolus probare voluit, neminem hominum potuisse cognoscere mysterium nostrae salutis, illud non agit tantum de vita aeterna. Atque dicto hoc probare voluit neminem hominum potuisse cognoscere mysterium nostrae salutis. Ergo illud non agit tantum de vita aeterna. Consequencia Majoris patet, quia alias Apostolus non probasset, quod erat in quaestione. Minor extat v. 7. 8. 2. ex serie contextus Prophetici, ubi Ecclesia V. T. suspirat ad Messiae adventum & ad beneficia ab eo conferenda. 3. ex testimonio

(b) lib. I. Manual. c. 16. de Justific. q. 7. n. 11. p. 439.

(c) Rom. 8. v. 1. 2.





(a) lib. 3. de *Bellarmini* (a), qui etsi etiam in Becani sententiam inclinaret, non  
Justific. c. 19 tamen excludit reliqua beneficia, quando confitetur, *Apostolum loqui de notitia beneficiorum, quæ DEUS præparavit electis suis,*  
Lit. G. *qualia sunt imprimis hereditas & gloria regni cælorum.*

(b) d. l.

XXIII. Aliter igitur excipit *Cardinalis* (b), & negat, *Apostolum loqui de notitiâ beneficiorum DEI, quæ in particulari ad hunc aut illum pertinent, sed de notitiâ beneficiorum, quæ DEUS præparavit electis suis, qualia sunt imprimis hereditas & gloria regni cælorum.* Nos contra invertimus ratiocinationem *Bellarmini*. Si enim in hoc loco agitur de notitiâ beneficiorum, quæ DEUS electis suis præparavit, utique etiam agatur de notitia beneficiorum, quæ in particulari ad hunc vel illum pertinent. A Genere enim ad Speciem, à specie ad individua valet consequentia. Et si eos, sive electi, sive fideles sciunt, quæ sibi donata à Christo sunt, quid prohibet cur non hic & ille idem sciat & cognoscat? præsertim cum ex eodem Spiritu sciant omnes.

(c) l. c. p. 182.

XXIV. *Costerus* (c) adhuc aliâ rem aggreditur viâ, i. negat id quod *Apostolus disertis verbis affirmat*: videlicet cognosci debere omnia, quæ à DEO fuerunt donata; rationem affert hanc: *quia constat plurima donari viris bonis, quæ utilius ab ipsis ignorantur quam cognoscuntur.* Sed quæ consequentia, plurima viris bonis donantur, quæ utilius ab ipsis ignorantur quam cognoscuntur. Ergo & hæc illa sunt. A particulari procedit *Costerus*, & quidem insuper contra mentem *Apostoli* ut vel inspectio textus quemlibet docere potest. Deinde & *Antecedens* falsum est. Novimus enim quæcunque nobis à DEO donantur, inter alias causas & ideo donari, ut beneficium illum Donatorem gratâ mente deprædicemus. Huc nos vocat monitum *Apostolicum* (d), quo jubemur *gratias agere de omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo & Patri.* Quod si fieri debet, uti meritò debet, nequaquam utilius erit accepta beneficia à nobis ignorari, quam cognosci, cum exacta beneficiorum cognitio & consideratio magis magisque nos ad dicendas grates inflammet. Vel si hæc ratio possit videri longius petita, damus aliam quasi domi natam. Ita procedimus: *Quicumque debent dijudicare spiritualia à DEO donata, ab illis ea non ignorant.*

(d) Eph. 5.  
v. 20.



*ignorantur utilius quam cognoscuntur. Atqui omnia spiritualia sive  
fidelis debet dijudicare spiritualia à DEO donata. Ergo ab illo ea non  
ignorantur utilius quam cognoscuntur. Major liquida est: quæ e-  
nim quis ignorat ea dijudicare qui poterit? Minor est in textu  
v. 15. Spiritualis dijudicat omnia.*

XXV. 2. Explicat Costerus, quid velit Apostolus. Ita enim  
pergit: *B. Apostolus hoc voluit; propterea datum fidelibus Spiritum,  
qui ex DEO est, ut ejus gratiâ adjuti contentur piis meditationibus in-  
telligere & suavi consolatione gustare beneficia DEI, ejus incarnatio-  
nem, passionem, aliâq; innumer a nobis collata. Quò enim quis divini  
Spiritus gratiâ cumulatio existit eò solet in hisce mysterijs & beneficijs  
cognoscendis, plus operæ studijq; collocare & in gratis agendis esse di-  
ligentior. Resp. 1. Nihil dicit Costerus: Et nos concedimus  
cognitionem donatorum per Spiritus Sancti gratiam in fide-  
libus existeret. Sed quid inde? an illa cognitio erit ignorantia?  
nemo sanus dicet. Pro nobis facit quicquid concionatur Co-  
sterus. Retinebimus equidem verba & videbimus quid con-  
tra eum concludant. Hæc est nostra argumentatio: Quibus-  
cunque propterea datur Spiritus qui ex DEO est, ut ejus gratia ad-  
juti contentur piis meditationibus intelligere & suavi consolatione gu-  
stare beneficia Christi, ejus incarnationem, passionem aliâq; innumera  
nobis collata, ab his ea non debent ignorari sed cognosci & in spiritua-  
lem usum verti. Connexionis ratio est in propatulo nec indi-  
get longa deductione. Atqui fidelibus propterea datur Spiritus,  
fatente ipso Costero. Ergo. Quin potius & hoc addimus  
argumentum: Quicumque possunt suavi consolatione gustare bene-  
ficijs Christi, illi non habent, quod dubitent de actuali eorum sibi fa-  
ctâ collatione. Atqui fideles hoc possunt. E. Majoris consequen-  
tiam, quanquam non adeò opus sit, probamus tamen ex ipso  
loquendi modo. Quando enim fidelis beneficia Christi gu-  
stat, & ita quidem, ut suavis in ipso inde oriatur consolatio,  
tum utique de collatis & sibi applicatis beneficijs certus esse  
potest, cum effectus testetur de sua causa. Minor est Costeri.  
2. Quod Costerus subjungit: quod quis soleat in illis myste-  
rijs & beneficijs cognoscendis plus operæ studijq; collocare,  
& in agendis gratijs esse diligentior, quò cumulatio divini  
Spiri-*



Spiritus gratia existit, id non diffitemur: sed addimus, si Co-  
 sterus tantum de illo studio loquatur, quo quis circa mysteria  
 illa nudè cognoscenda versatur, illud rem omnem nondum  
 absolvere: non enim sufficit historica cognitio, nisi accedat  
 salutatis applicatio, ut quisque fidelis in se cognoscat, & sibi  
 Christum natum, passum & se per crucem ejus reconciliatum  
 esse. Quod nisi fit, non poterit diligentior esse in gratijs a-  
 gendis, inflat (a) enim scientia. Ubi verò debet esse gratiarum  
 actio: ibi præcedat necesse est beneficiorum acceptorum vera  
 agnitio & usurpatio. Ita enim nobiscum comparatum est, ut  
 promptiores simus ad gratiarum actionem, cum beneficiorum  
 collatorum utilitatem persentiscimus, quam cum eorum ob-  
 lationem vel acquisitionem tantum cognoscimus.

(a) I. Cor. 8.  
 v. 1.

(b) Joh. 14.  
 v. 20.

XXVI. Tertium: In illo die vos (b) cognoscetis, quod ego sum in  
 Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Nos ita colligimus: Qui-  
 cunque eâ certitudine cognoscunt se esse in Christo & Christum in ipsis  
 qua certitudine cognoscunt Christum esse in Patre, illi non possunt non  
 esse certi de gratiâ DEI & quidem certitudine fidei divinæ. Eâ enim  
 Christus in Patre esse cognoscitur. Atqui fideles eâ certitudine  
 cognoscunt se esse in Christo & Christum in ipsis, quâ certitudine cogno-  
 scunt Christum esse in Patre. Ergo fideles &c. Major est firma.  
 In nemine enim Christus est per gratiam nisi qui Deo recon-  
 ciliatus est & ab eo diligitur v. 23. Minor est in textu, in quo  
 nulla vel cognitionis vel certitudinis diversitas apparet.

XXVII. Duobus hîc modis contra insurgit Bellarminus  
 i. locum hunc ut alienum rejiciendo, cum Dominus de cognitio-

(c) Lit. B. p.  
 244. 5. In  
 altero te-  
 stim.

ne beatâ (c) agat, qua post vitam erit, cum videbimus DEUM, sicuti  
 est: quam sententiam esse dicit Augustini & Cyrilli. Sed Resp. i.  
 Nos non juravimus in verba horum Patrum, ideoque nemo  
 nobis vitio vertet, si ab eorum sententiâ placidè discedamus,  
 eâdem usi libertate, quâ & ipse Augustinus in aliorum Patrum  
 scriptis se usum esse profitetur & quâ multi Pontificiorum etiam  
 in hujus loci explicatione usi sunt qui videri possunt apud  
 Ampliss. & Clariss. D. D. Hulsemannum in Manual. Aug. Confess. (d)  
 à quo etiam Chrysostomus laudatur, ut & Theodoretus & Theophyla-  
 etus, qui omnes diem hunc ad illud tempus referunt quod  
 Resurrectionem infecuturum erat. A quâ sententia Bellar-

(d) disp. 17.  
 p 824.

minum



minus non adeo alienum fuisse, exinde innotescit, quod ille  
 ab hac prima responsione videtur discedere, quando 2. aliam  
 responsionem & quidem hanc subjungit: Si quis autem contendat, in  
 hac etiam vita compleri, quod Dominus ait, in promptu erit responsio,  
 cognoscere nos esse in Filio & Filium in nobis, non esse cognoscere, nos esse  
 justos, sed Christum esse caput totius Ecclesie: Sic enim est Christus in  
 nobis, id est in Ecclesia, & Ecclesia in Christo, quia ipse est caput & Ec-  
 clesia est corpus. Resp. 1. Si Bellarminus per justum intelligit  
 eum, qui per habitum infusum, sive per opera justus est, ultrò con-  
 cedimus non pari passu ambulare, cognoscere se in Christo esse,  
 & cognoscere se esse justum, h.e. ex operibus suis justifica-  
 tum coram Deo: sic enim duæ illæ locutiones inter se pu-  
 gnant, ut si altera ponatur, altera statim negetur: quando qui-  
 dem qui se cognoscit justum ex operibus, is non potest se in  
 Christo esse cognoscere & in se Christum, à quo omnis (a) exci-  
 dit, qui per legem justificari vult. Aliter verò se res habet, quando  
 Orthodoxè justum interpretor, & eum cum Scripturâ intelli-  
 go, cui fides sua imputatur (b) ad justitiam: tum enim ex co-  
 gnitione Christi in me habitantis, & meam justificationem,  
 intrepidè colligere possum, ut infallibilis sit argumentatio:  
 Qui cognoscit se esse in Christo, is etiam cognoscit se esse ju-  
 stum, sed per imputatam justitiam. Imò verò & ulterius pro-  
 gredi possumus. Nam cum Renovatio cum Justificatione  
 indissolubili nexu conjuncta sit, nec à se invicem divelli  
 queant, quamvis distinctæ inter se maneant in suo quæque of-  
 ficio, si justum accipias pro eo qui justificatus fide, jam in no-  
 vitate vitæ ambulat, id est, pro eo qui inchoatè justus est, & sic  
 subsistere allata collectio potest. Rationem facillimo nego-  
 tio dare possumus: Qui enim in Christo est, nova (c) creatura  
 est, & ut palmes in sua vite manens (d) fert fructus. Fidelis ergo  
 cognoscendo se esse in Christo & Christum in se, cognoscit (d)  
 etiam se & eâ ratione justum esse, (quanquam non inchoata  
 sed imputata justitia fundamentum est inessendi in Christo  
 sive in fitionis.) Nam palmes fructus non ferens, tollitur (e) ex vite  
 & foras ejicitur. Sic omnis, qui elatâ manu, id est, contra con-  
 scientiam peccat sive malè credendo sive vivendo, non manet

(a) Gal. 5. v. 4.

(b) Rom. 4. v. 5.

(c) 2. Cor. 5. v. 17.

(d) Joh. 15. v. 2, 4.

(e) Ibid. v. 2. 6.

C

in





in Christo neque in ipso Christus. 2. Dicimus, explicatio-  
nem Bellarminianam nobis non adversari si dextrè accipia-  
tur. Vel enim loquitur Bellarminus de *cognitione historica*, qua-  
lis etiam in Diabolo cadit, qui Christum in Ecclesia esse &  
credunt & sentiunt: & tunc unà cum ipso negamus conse-  
quentiam, sed de illà Christi verba non loquuntur; vel de *cogni-  
tione salutari*, quâ omnes fideles non inodo cognoscunt Chri-  
stum esse in Ecclesia, h. e. in corpore suo, & in omnibus ejus  
veris membris, sed etiam quilibet in se Christum esse cogno-  
scit: de qua cognitione h. l. sermo est, ut ipsi apices docent.  
Prædicat enim Christus futurum, ut unusquisque suorum non  
tantum discipulorum, sed & omnium ipsum diligentium co-  
gniturus sit, in illo die, videlicet post gloriosam CHRISTI  
Resurrectionem, & Christum in ipso esse & se in Christo; uni-  
cuique enim fidelium ipse semetipsum se aperturum (a) rece-  
perat: hoc est, ut retineamus loquendi modum Bellarmini:  
omnis fidelis in individuo cognoscere debebat, se esse verum  
& vivum membrum corporis Christi. Quæ interpretatio  
non pugnat cum verbis Christi, neque oppugnat nostrum ar-  
gumentum sed propugnat: Ita enim inferimus: Quicumque  
*cognoscit se esse verum membrum corporis Christi, is etiam cognoscit se  
esse DEO Patri reconciliatum & quidem eadem fidei certitudine. At  
omnis fidelis cognoscit se esse verum membrum corporis Christi. E.  
omnis fidelis cognoscit se esse DEO reconciliatum.* Consequentia

(a) l. d. v. 21.

(b) Rom. 8. Majoris est legitima. Nulla enim condemnatio (b) est in his,  
v. 1. qui in Christo Jesu sunt.

XXVIII. Probavimus hætenus certitudinem Gratia  
ex eo, quod fides est notitia, sequitur jam, ut nostram senten-  
tiam & ex eo confirmemus, quod fides est fiducia. Produci-  
mus verò hoc argumentum: Quorum fides est *ὑπόστασις, πλη-  
ροφορία, ἔλεγγος, παρρησία, πεποίθησις*, ij certi sunt & esse pos-  
sunt de gratiâ DEI. Atqui fides fidelium est talis. E. fideles  
certi esse possunt de gratia DEI. Major ex deductione Minoris  
patebit. Minorem per singula membra probamus.

(c) Heb. 11.  
v. 1.

XXIX. Est enim fides i. *ὑπόστασις*. *Ἐπὶ δὲ πιστῶν ἐλπίζομε-  
νων (c) ὑπόστασις*. Lutherus benè vertit, *eine gewisse zuversicht*:  
quam



quam significationem & ipsa derivatio probat, (est enim ὑφιστάσθαι, à subsistendo vel sistendo, utrumque enim actum verbum hoc importat) & obvius (a) scripturæ usus. Nec insolens est ista significatio apud LXX virales Interpretes, id quod ex collatione (b) locorum elucescit; nec apud prophanos Autores, ex quibus plura loca citat B. Chemnitius, (c) inter quæ eminent illud Polybii de Coelice: Hostibus admirantibus non tam δύνανται ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτῆς καὶ πολυμάχων, animi præsentiam & imperterritam præfidentiam quæ nulli cedat. Vidit illud etiam Syrus interpres, qui ut habet Junio Tremelliana Versio, ita reddidit verba Apostoli, Fides est persuasio de illis quæ sunt in spe, ac si essent illis in effectu. Accedit, quod nec ipsi Pontificij scriptores usitatam illam significationem negare ausint. Erasmus enim in annotat. ὑπόστασιν dicit certitudinem & id cui aliquid innititur, & fulcitur. Cujus viri autoritas merito plurimum valere debet apud Pontificios, utpote quem Leo X. filium dilectum vocavit, & Paulus III. in Cardinalium collegium cooptare voluit.

(a) Heb. 3. v. 14. 6.  
 2. Cor. 9. v. 4. c. 11. v. 17.  
 (b) Pl. 39. v. 8. Ezech. 19. 15 Ruth 1. v. 12.  
 (c) Part. 2. LL. de Justif. c. 3. 265.

XXX. 2. Πληροφροσύνη. Accedamus (d) cum vero corde, ἐν πληροφροσύνῃ πίστεως, ac depulsâ conscientiam malâ & abluti corpore aquâ purâ. Deducitur hæc vox à verbo πληροφροεῖσθαι, quod significat plenè persuasum, certissimè compertum habere. Nonnulli volunt in hac voce esse Metaphoram à nave petitam, quæ justo recepto onere plenis velis feratur in altum. Quo ipso indigitatur πληροφροσύνην esse plenam animi persuasionem, quæ in promissiones DEI recumbens, quasi plenis velis feratur in id, quod ex verbo DEI cognitum habet, & eos etiam motus complectatur, qui certam persuasionem consequuntur. Et hanc esse indolem hujus vocis uti ex Isocrate probat (e) Flacius, ita nos ex ipsâ Scripturâ Sacrà probare possumus. Apostolus Paulus quando Romanos suos dehortatur, ne quid agant titubante conscientiam, inter alia sic scribit: (f) Quisque in suâ conscientiam πληροφροεῖσθω certus sit, persuasissimum habeat, & quidem ita, ut cum Apostolo (g) dicere queat: Novi & persuasum habeo per Dominum Jesum nihil esse commune per se. Sic ad Timotheum (h) scribit: Ministerium tuum πληροφροσύνην:

(d) Heb. 10. v. 22. conf. cap. 6. v. 11. Coll. 1. v. 2. 1. Thes. 1, 5.  
 (e) In Clave.  
 (f) Rō. 14, 5.  
 (g) Ib. v. 14.  
 (h) 2. Tim. 4. v. 5.





- id est, ministerij tui plenam fidem fac; ita te gere in ministerio, ut omnes intelligant te verum Christi ministrum esse.
- (a) Luc. 1. v. 1. Lucas Evangelista, *περγαματα* (a) *πεπληροφωρημένα* vocat, quæ adeo certis testimonijs confirmata sunt, ut qui ea in dubium vocare velit, eo ipso se infensissimum veritatis Evangelicæ hostem profiteatur. Et quod primo loco adducere debuissimus, de Patre credentium *Abrahamo* memorat Apostolus, quod *πληροφωρηθεὶς* (b) *plenissimè persuasum habens fuerit, quod is qui promiserat, idem potens esset & præstare.*
- (c) Heb. 1. 1. XXXI. 3. Ἐλεγχθῆναι: ἔλεγχθῆναι (c) ἔβλεπουμένην. Ἐλεγχθῆναι verò fides est non tantum, quia intellectum evidenter inclinat ad assentiendum, sed imprimis, quia cor confidere facit veluti planissimum est ex historia (d) Paralytici, & fœminæ (e) hæmorrhousæ, uti habet *Clariss. Brochmand* (f). Quod ipsum & totum hoc caput clarissimè evincit, si non modo dicta v. 6. sed etiam exempla, quæ afferuntur, perspicillatè æstimemus.
- (d) Matt. 9. v. 2. (e) Ibid. v. 20. 21. (f) Tom. 2. Syst. Theol. p. 416. XXXII. 4. Παρρησία. Accedamus igitur (g) *μετὰ παρρησίας* ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium. Est verò *παρρησία* confidentissima agendi & dicendi libertas, omnis metus expers, quâ qui præditus est, is intrepidè agit & loquitur. Videmus hoc in Apostolo Petro, ut unicum exemplum afferamus, qui aspectu Principum, Seniorum & Scribarum nihil territus, quantumvis captus, causam suam vel potius Christi præsentis animo ita egit, ut Senatus Hierosolymitanus *τὴν τῶν Πατρῶν παρρησίαν* (h) admiratus fuerat.
- (g) Heb. 4. v. 16. confer c. 3. v. 6. c. 10. v. 35. Eph. 3. v. 12. 1. Joh. 3. v. 28. c. 3. v. 21. c. 4. v. 17. c. 5. v. 14. (h) Act. 4. v. 13. XXXIII. 5. Πεποίθησις. Fiduciam autem (*πεποίθησιν*) habemus (i) per Christum erga DEUM. Notat verò *πεποίθησις* confidentiam, fiduciam ut vel derivatio monstrat, est enim à *πεποιθέναι* quod confidere (k) significat. LXX eandem significationem confirmant. Ps. 146. v. 2. habent *μὴ πεποιθήσατε ἐπὶ ἀρχούταις* ubi in Hebræo est *יְהוָה*. Radix verò *יָדַע* quam LXX expresserunt, significat consentientibus Lexicographis, fidit, (l) firmiter innixus fuit. Idem & Tarnovius (m) attestatur. Minore verò jam per omnia membra probatâ, tandem inferimus, quod probare volumus, Ergo fideles certi esse possunt de gratiâ DEI.
- (i) 2. Cor. 3. v. 4. Eph. 3. v. 12. (k) Matt. 27. v. 43. Luc. 21. v. 22. (l) Es. 36. v. 4. 2. Reg. 15. 19. (m) in Ps. 4. v. 11.



XXXIV. Devenimus jam ad *tertium* Orthodoxæ nostræ sententiæ fundamentum, quod enascitur *ex effectis justitiæ fidei*, quæ numero plura sunt, nos tria delibabimus & argumenta ex ijs nectemus. Primarius effectus est remissio peccatorum. *Huic omnes Prophetae testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum (a) accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum.* Argumentum hoc inde exurgit: Quicumque remissionem peccatorum accipiunt, illi certi sunt & esse debent de gratiâ DEI. Atqui omnes & singuli in Christum credentes accipiunt remissionem peccatorum. Ergo omnes & singuli in Christum credentes certi sunt & esse debent de gratiâ DEI. Major constat: conferri tamen potest v. 6. 7. 8. cap. 4. ad Rom. Minor est Apostoli Petri. Constabit igitur & Conclusioni sua veritas.

(a) Act. 10. v. 43.

XXXV. Alter est pax conscientiæ. *Justificati igitur ex fide pacem (b) habemus erga DEUM per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem & contingit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc in qua stamus & gloriamur sub sp̄o gloriæ DEI.* Inviçtum hinc nobis emergit argumentum: Quicumque in suâ conscientiâ habent pacem erga DEUM, adeo, ut de gratiâ, in quâ stant, gloriari possint, illi habent immotam certitudinem de divinâ erga se gratiâ. Atqui justificati ex fide habent in suâ conscientiâ pacem erga DEUM, adeo, ut de gratiâ, in quâ stant gloriari possint. Ergo justificati ex fide habent immotam certitudinem de divinâ erga se gratiâ. Major est invictæ veritatis. Minor est in textu, quam tamen labefactare conatur *Adversarij*, sed conatur tantum. Exceptiunculas igitur eorundem considerabimus.

(b) Rom. 5. v. 1.

XXXVI. Et i. quidem negant verba illa esse Pauli *asserentis* sed *optantis* vel *adhortantis* esse gannunt, inter quos est *Dionysius Chartusianus* quem citat *Paraus* in h. l. sic commentantem: *Postquam Apostolus abstulit causam atque materiam discordiæ Romanorum: jam eos invitat ad veram pacem: & ait: Justificati ergo, id est, justi à DEO effecti ex fide, id est, per fidei formatæ infusionem: pacem habeamus ad DEUM, id est, DEO humiliter subditi simus.* Nititur hæc interpretatio tum autoritate *Vulgatæ versionis* tum *Patrum Origenis, Chrysostomi, Oecumenij*. Sed respondemus: In Græcis codicibus constanter legi, *ἐχόμενοι* non verò *ἐχόμενοι*





quibus Vulgata versio non potest præjudicare. 2. Patrum iudicio hîc non stamus, ubi contextus contrarium suadet, qui hîc pro nobis est, tum respectu *continue orationis* quæ *indicativa*, tum *scopi Apostolici*, qui nondum est, *moralia* tractare, ad quæ se demum sequenti capite convertit, sed *justificationis dulcissima effecta* enumerare. II. Alij aliter hoc fundamentum subruere student, & somniant, Apostolum loqui de *reconciliatione ipsâ*, non verò de *sensu istius reconciliationis*, quales sunt *Estius & Adam à Contzen*: sed perperam: Phrasis enim aliud infert: neque tantum pacis *possessionem*, sed etiam *fruitionem* subindicat: id quod tam ex collatione (a) *aliorum locorum*, quàm ex consideratione *consequentium phrasium* idem confirmantium, nemini non potest inclarescere. Pergit enim Apostolus & pertexit suam orationem prægnantibus verbis: *Δι' ἧ καὶ πῶν προσαγωγῆν ἐσχῆκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ἣ ἐσχῆκαμεν καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ*. Quæ omnia sententiam nostram mirificè statuminant. *Προσαγωγή* enim notat actuale (b) *adductionem*, quam si justificati habent in gratiam, nullus erit de gratiâ dubitandi locus. Insuper tribuit Apostolus justificatis 1. *σῴσιν*: ἐν ἣ ἐσχῆκαμεν: qui verò stant in eâdem gratiâ ad quam per Christum adducti sunt, illi eo ipso dum stant, non possunt titubare. Stare enim & vacillare sunt (c) *opposita*. 2. *καύχημα*: καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ: qui autem verè gloriantur, & gloriari possunt de spe gloriæ DEI, eos necesse est, ut de præsentis gratiâ proprio etiam sensu sint certissimi: alias nulla foret ea gloriatio.

XXXVII. Tertius effectus est adoptio. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis (d) ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, his qui credidissent in nomen ipsius*. Ex quo loco hoc nos exstruimus argumentum: Quibuscunque datur ea eminentia, quod sint filij DEI, illi certi sunt de ejusdem gratiâ. Atqui omnibus & singulis in nomen Christi credentibus datur eminentia, quod sint filij DEI. Ergo omnes & singuli in nomen Christi credentes certi sunt de gratiâ DEI. Major est firma. Minor est in allato dicto in quo nos non immerito vulgatam Versionem res suas habere jubemus, quæ ἐξουσίαν per potestatem, sed malè reddit. Nam qui recipiunt Christum, ij non

(a) Joh. 16.  
7. 33. Act. 9.  
v. 31.

(b) Eph. 2.  
v. 18. c. 3.  
v. 12.

(c) Exod. 14  
v. 13. Rom.  
11. v. 20.  
1. Cor. 10. 12.  
cap. 16. v. 13.  
2. Cor. 1. 24.  
Phil. 4. v. 1.

(d) Joh. 1.  
v. 13.



ij non demum accipiunt potestatem, ut possint filij DEI fieri, sed eo ipso dum Christum recipiunt, Filij DEI fiunt, attestante id Apostolo Paulo: (*Omnes filij DEI estis (a) per fidem in Jesu Christo*) & urgente hoc ipsum contextu. Sequitur enim, quod, *qui credunt in nomen Christi, ex DEO nati sunt.* Quis verò eos neget esse DEI Filios, qui ex DEO nati sunt? Idem habet Johannes in sua Epistola (b), *Omnia qui credit Jesum esse Christum, ex DEO natus est.* Nostram verò hanc interpretationem neque verba respiciunt; (*ἐξοία* enim (c) & autoritatem, dignitatem, præminentiam significat, *γενεσθαι* verò & esse & fieri v.6.3:) neque ipsorum Pontificiorum commentationes. Sententiæ enim nostræ subscribunt, Jansenius, Pererius quos citat Chamier (d) Estius, Jacobus Tirinus & alij (e) quos superaddit B. Gerhardus: neque dissentit Emanuel Sa (f), in suis ad h.l. Notationibus, quæ gravium doctorum hominum judicio approbatæ sunt, uti præfixa à fronte appobatio testatur. Huc usque *tertium* fundamentum.

(a) Gal. 3. 26

(b) 1. Joh. 5. v. 10

(c) Rom. 13. v. 2. Apoc. 17. v. 13.

(d) Tom. 3. Panstr. lib. 22 c. 8. §. 12. p. 469.

(e) lib. 2. Confes. Cathol. Spec. part. 3. art. 22. c. 4. p. 575. art. 23. c. 3. p. 665.

(f) p. 374.

XXXVIII. Sequitur jam *quartum*, quod ea nobis præbent dicta; quæ fiduciam exigunt & omnem diffidentiam & dubitationem reprehendunt. Nos ex illis hoc proponimus argumentum: Quibuscunque *confidentia præcipitur, & omnis dubitatio prohibetur, illi debent certi esse de gratia DEI.* Atqui *omnibus & singulis fidelibus confidentia præcipitur, & dubitatio prohibetur.* Ergo *omnes & singuli fideles debent certi esse de gratiâ DEI.* Major patet. Minor est bimembris, quam i. probamus quoad *primum* membrum. Apostoli Petri hoc est præceptum: *Quapropter succincti lumbis mentis vestre, sobrij, perfectè sperate (g) in eam, quæ a vobis (g) deficitur gratiam, dum vobis patet Jesus Christus.* Si verò omnes fideles, ad eos enim scribit v. 2. debent *τελειως* sperare in illam delatam ipsis gratiam, utique de eadem non debent desperare vel ullatenus dubitare. Dubitatio enim cum perfectâ spe sive confidentia neutiquam potest consistere. Apostoli Pauli hoc est pronunciatum: *Bonum est gratiâ (h) constabiliri cor, non escu, quæ non profuerunt eis, qui versati sunt in illa.* Quorum verò corda bonum est gratiâ stabiliri, eorum corda malum erit dubitatione de gratiâ instabilia esse & fluctuante fide circumferri. Quid? quod ipse *Salvator* noster, non modo quando *corporalia* fed

(g) 1. Pet. 1. v. 13.

(h) Heb. 13. v. 8.



sed etiam quando *spiritualia* beneficia collaturus erat, fiduciam exigebat. Ad *Jairum* ait: *Noli timere, crede (a) tantum, & salva erit: ad Homorrhousam: Confide (b) filia, fides tua te servavit: ad Paraliticum: Confide (c) fili, remissa sunt tibi peccata.*

XXXIX. 2. Probamus quoad secundum membrum. Prohibet *Christus* & increpat diffidentiam *Petri* super mare ambulantis & ob excitatam tempestatem timere, & ob timorem mergi incipientis, Exiguâ fiduciâ (d) prædite, *eis τὴν ἐδυστοχίαν.* Nolebat igitur *Petrum discere*: quo verbo indicatur animus, qui affectibus varijs nunc huc nunc illuc impellitur, ut non maneat in unâ sententiâ, sicut *viator in bivio* (e) constitutus. Reliquos etiam *discipulos* objurgavit *Salvator* non semel (f) imprimis in *solemni illâ concione*, quam etiam coram *discipulis* habuit & ad eos, cum intonat, *O parum fidentes! Lucas* hinc significatissima voce utitur in suâ *Historiâ*: *Nolite, (g) μετεωρίζεσθαι.* Ubi sive à navibus in mari sive à meteoris in aere agitatis metaphoram esse ductam dixeris, patet ibidem prohiberi, ne suspensio animo simus, sed plenâ fiduciâ in divinam bonitatem recumbamus. Vide, si lubet, *Christum* (h) qui *Theophylacti* & *Bezae* explicationem adducit ut & exempla ex profanis *Scriptoribus*. Sed ne hâc clamitent *Pontificij*, modo citata dicta nihil ad rem facere, utpote agentia de fide generali, quæ pro objecto habeat omnipotentiam divinam, monstrabimus consequentiam. Ita enim colligimus: Si nemo fidelium debet dubitare de *benivolâ DEI voluntate in rebus corporalibus* & cum conditione promissis, utiq; multò minus de eâdem dubitare debent in rebus *spiritualibus sine conditione promissis*. Atqui nemo fidelium debet dubitare &c. Ergo. Consequentia Majoris est perspicua, ideò in eâ probandâ nolumus esse multi, sed convertimus nos ad *quintum Orthodoxæ sententiæ fundamentum*.

XL. Illud verò nobis subministrant dicta, quæ de *Spiritus Sancti obsignatione* agunt, ex quibus sic concludimus: Quicquid *Spiritus Sanctus in cordibus fidelium contestatur* & obsignat, de eo *fideles dubitare neque possunt neque debent, sed contrâ esse certissimi*. *Gratiam DEI Spiritus Sanctus in cordibus fidelium contestatur & obsignat. Ergo de eâdem fideles dubitare neque possunt neque debent, sed contrâ esse*

(a) Luc. 8. v. 50.

(b) Ibid. v. 48.

(c) Matt. 9. v. 22.

(d) Matt. 14. v. 31.

(e) Confer Matt. 28. v. 27.

(f) Idem. c. 8. v. 26.

(g) c. 16. v. 8. c. 6. v. 30.

(h) Luc. 12. v. 29.

(h) Rhet. Sac. tract. 1.

c. 12. p. 384.



*esse certissimi.* Major satis clara est. Si enim dubitandum esset de eo, quod Spiritus Sanctus obsignat in cordibus & testificatur, dubitandum foret de Spiritus Sancti veritate, quod horrendum vel cogitatu, ne dicam dictu. Minorem & multis & evidentibus dictis stabilimus.

XLI. Primum dictum est: *Etenim quicumque Spiritu DEI ducuntur, hi sunt filij DEI. Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum ad timorem: sed accepistis Spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba Pater. Idem Spiritus testatur (a) cum spiritu nostro quod simus filij DEI.* Locus hic plane aureus est, in quo quot verba sunt, tot fulmina sunt contra Antichristianam dubitationem. Quæ enim dubitatio ibi esse potest, ubi est Spiritus non servitutis ad timorem sed adoptionis, ubi est clamor fiducialis *Abba Pater* (*αγαπε* enim fiduciam (b) involvit) ubi est *internum* testimonium & nostri Spiritus & Spiritus S. & sic duorum testium, in quorum ore stare debet (c) *omne verum*, & quidem non de filiatio- nis possibilitate sed de statu filiationis presenti *ὅτι ἐστὶν τὸ ἐνὸς θεῶν.*

(a) Rom. 8. v. 15. 16. 17.

(b) Mat. 20. v. 30. c. 15. v. 27.

(c) Deut. 19. v. 65.

XLII. Verum hic occurritur nobis & à Bellarmino (d) & à Becano (e) qui ad locum adductum varia excipiunt. Bellarminus quidem i. *duplicem* facit pro duplici Latini & Græci Codicis lectione, *expositionem* hujus loci. Unam hanc ex lectione Latini Codicis, qui habet, *Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus filij DEI; testimonium hoc non esse per verbum expressum, id est, revelationem, sed per experimentum cujusdam suavitatis & pacis interna, que non gignat certitudinem nisi conjecturalem.* Idem etiam habet Becanus. Alteram illam, ex lectione Græci Codicis qui habet; Spiritus Sanctus *ὁπου αὐτοῦ ἔστι τὸ πνεῦμα τὸ ἑνὸν*: & testimonium Spiritus Sancti nihil esse aliud, nisi ipsam orationem quâ dicimus *Abba Pater*, quæ explicatio sit Græcorum Patrum. Verum respondemus i. in genere ad utramque expositionem, Bellarminum nimium subtilem esse in Lectionum diversitate notandâ, quæ non adeò discrepant ut conciliari non possint. Neque verò Latina lectio negat, quod Græca affirmat, sed idem subindicat. Probandum igitur fuisset Bellarmino, Latinam versionem ideò simplici verbo usam esse, ut Spiritum nostrum à Testium numero excluderet, quod non videtur verosimile,

(d) lib. 3. de Justif. c. 9. p. 244. L. D.

(e) l. 1. Manual. c. 16. p. 438.

D

cum





(a) Rom. 1. cum etiam alibi (a) locorum hoc ipsum verbum compositum  
v. 15. c. 9. v. per simplex exponat, & hinc videatur Spiritus nostri testimo-  
nium præsupponere, uti etiam evidenter fit in ipso textu, uti  
patet ex v. 10. ipse enim *clamor* quo fideles Deo nostro accla-  
mamus Abba Pater, est testimonium Spiritus nostri de nostrâ  
filiatione, de qua cum etiam Spiritus Sanctus testetur v. 17. re-  
sultat idem, quoad rem ipsam, quod Spiritus Sanctus unâ cum  
nostro Spiritu testetur: quod est in Græca Lectione, quæ,  
etiamsi vel maximè Latina versio contradiceret, hinc præferenda  
foret: quod tamen cum illa non faciat, dummodò *primariam*,  
non *solitariam* Spiritui Sancto testificationem tribuere voluis-  
se videatur, nolimus eidem nigrum Theta præfigere & hinc  
simpliciter rejicere. *Becanus* certe qui aliàs vestigia hujus sui  
Antesignani premere solet, nihil habet de *duplici illa lectione*, in  
qua si quid ponderis positum esse existimasset, utique haud in-  
tactum id reliquisset.

XLIII. Respondemus II. in specie ad i. expositionem;  
i. in ea impugnari Spiritus Sancti *officium & infallibilitatem*. Ejus  
*officium*, quod est, nos per verbum (b) in omnem veritatem du-  
cere; illa verò asserit, Spiritum S. citra verbum testari debere  
per revelationem, cujus nulla hinc necessitas, cum *internum* Spi-  
ritus Sancti *testimonium* per verbum revelationi non cedat sed  
æquipolleat. Imò verò quia illud testimonium est Spiritus  
Sancti, ideo est verbum DEI & ratione suæ essentiæ non aliud  
quàm quod in S. Scripturâ legimus vel ex eâ audimus. Nam  
quanquam ratione *testificationis*, quæ vel *externa* est vel *interna*,  
diversitas aliqua suboritur, manet tamen identitas testimo-  
nij. Testimonium enim hoc nihil aliud est, quàm generalium  
propositionum de gratiâ DEI & remissione peccatorum ad  
certum individuum à Spiritu Sancto applicatio & de applica-  
tione factâ interna contestatio. Ejus *infallibilitatem*: quia si  
Spiritus Sancti testimonium tantum *conjecturalem* gignit certi-  
tudinem, non erit infallibile; quod de Spiritu S. qui ipsa veri-  
tas est quis asserat, nisi os blasphemum habeat? 2. In ea *experi-  
mentum interne pacis* malè constitui internum testimonium Spi-  
ritus Sancti. Illud enim hoc est posterius. Nisi enim testifica-  
tio



tio interna Spiritus Sancti in cordibus fidelium præcesserit, nullum erit experimentum internæ pacis, sed saltem imaginarium; cum hoc ab ea proficiscatur. 3. Experimentum internæ pacis, si maximè illud esset testimonium Spiritus S., malè statui esse infallibile. Est enim infallibilis nota præsentia Spiritus Sancti cum ejusdem effectus sit, (a) ab effectu verò ad causam legitima est illatio.

(a) Rom. 14.  
v. 17. Gal. 5.  
v. 22.

XLIV. Ad alteram expositionem reponimus 1. esse petitionem principij: siquidem nulla nos cogit necessitas ut testimonium Spiritus Sancti de oratione exponamus, quæ ut illud consequitur, sic hîc ab illo distinguitur v. 16. Nam qui verè potest clamare Abba Pater, eum antè certum esse oportet, quod sit filius DEI, alioqui enim DEUM tam blandè appellare non audebit, sed potius ab eo tanquam severo Judice refugiet. Præcedit igitur Spiritus Sancti testimonium, sequitur fiducialis oratio, quæ & ipsa Spiritus Sancti opus est v. 26. (b)

(b) Gal. 4, 6

2. Imò verò ponamus per testimonium illud, Orationem intelligendam, nihil inde vel nostræ decedit, vel Bellarminianæ accedit sententiæ. Oratio enim fidelis præsupponit gratiosam præsentiam & testificationem Spiritus Sancti, quo absente veræ preces fundi non possunt. Nemo enim potest Jesum vocare (c)

(c) I. Cor. 12  
v. 3.

Domini, nisi in Spiritu Sancto, qui Spiritus (d) precum est, & vocatur. Quia igitur Spiritus Sanctus veræ orationis autor est, illa de ejusdem præsentia testari poterit, ut effectus de sua causa.

(d) Zach. 12  
v. 10.

Potest quidem Oratio testimonium Spiritus Sancti dici sed externum, quemadmodum & amor verbi, studium pietatis, patientia in cruce; ita tamen, ut internum testimonium Spiritus Sancti non excludatur sed præsupponatur, ex quo ut illud, sic proximè pax & tranquillitas conscientia enascitur. 3. Dicimus, Bellarminum falsò gloriari de communi suffragio Græcorum Patrum. Illi enim nobiscum faciunt & testimonium illud non de oratione sed de ipso Spiritu Saucto exponunt. Decumentus sit nobis instar omnium, is hæc annotat: Ipse inquit, Spiritus, hoc est, ipse Paracletus simul testimonium perhibet Spiritui nostro, b. e. charismati, quod ab ipso nobis impensum est. Non enim solius charismatis, muneri ve hujusmodi vox est, verum etiam donantis Spiritus. Ubi igitur





tur Spiritus testimonium præbet, quanam ibi dubitatio? Eadem habet Chrysoſtomus à quo Oecumenius illa quæ attulimus, mutuatus esse videtur. Adſtipulantur Theophylaëtus, Theodoretus, quorum verba etiam citavit Clariffimus D. Battus (a) Theologus Gryphiswaldensis.

(a) Lib. 2. de  
Justif. c. 8. p.  
232, 233.

XLV. Sed instant & Bellarminus & Becanus contra ſecundam Reſponſionem. Hoc ipſum, pergit ille, quod videlicet Spiritus Sanctus ſit, qui nos movet, cum dicimus Abba Pater, non conſtat nobis ex fide divina, ſed ſolum ex conjecturis, quæ fallaces eſſe poſſunt. Multi enim non ſolum peccatores inter Catholicos ſed etiam Heretici dicunt DEO, Pater noſter, qui es in cælis. Et Judæis dicentibus Joan 8. Nos unum Patrem habemus DEUM, Chriſtus dixit, Vos ex Patre Diabolo eſtis: Non igitur hoc testimonium fidem facit niſi conjecturalem. Hic verò oggerit. Hoc autem poſterius (testimonium Spiritus per experimentalem motionem intelligit) non efficit, ut quis infalibiliter ſciat, ſe à Spiritu Sancto moveri, & DEI amicum eſſe. Nam aliquando Spiritus malus transfiguratur ſe in Angelum lucis: Unde fit hominem falli & decipi poſſe. Deinde conſtet ſanè homini, ſe impelli à Spiritu Sancto: nondum tamen conſtabit ſe eo modo affici, quo amici DEI afficiuntur. Nam & peccatores interdum à Spiritu Sancto pulſantur & impelluntur. Bellarminum prius abſolvemus, deinde Becanum. Impia imò & blaſphema Bellarmini vox eſt, quando aſſerit, neminem fidelium ſcire, an Spiritus Sanctus ſit, qui ipſum moveat ad preces. Quis igitur tandem erit? an Diabolus? is potius à precibus avocatur? an caro & ſanguis? utrumque eſt (b) inimicitia adverſus DEUM, & ut ad veram (c) Chriſti confeſſionem, ſic & ad preces nihil facit. Si Apoſtolus Paulus audiendus erit, nemo eſt, qui nos ad preces inſtigat, niſi Spiritus Sanctus, per eum clamamus Abba Pater, ille intercedit pro nobis (d) gemitibus inenarrabilibus. Ubicunque igitur eſt operatio Spiritus Sancti gratioſa, ibi quoque eſt Spiritus Sanctus gratioſè operans. Atqui in fidelibus eſt operatio Spiritus S. gratioſa. E. in fidelibus eſt ipſe Spiritus Sanctus gratioſè operans. Major eſt manifeſtæ veritatis: Spiritus Sanctus enim, quia Deus eſt, non operatur abſens ſed præſens. Et quia omnes fideles divinam iſtam in ſe operationem ſentiunt, quotieſcunque ad preces inflammatur.

(Spi-



(*Spiritus enim hominū (a) novit quæ sint in homine*) certissimi esse (a) 1. Cor. 2. v. 11. possunt de motione sacri illius ignis: quandoquidem illa motio non aliunde est, nisi à Spiritu Sancto. An nescitis, hîc cum Paulo quærere possumus, quòd templum DEI estis, & Spiritus Sanctus (b) in vobis habitet? Quòd si fideles scire possunt, quòd Spiritus Sanctus in ipsis habitet, quâ unquam ratione de vero motore precum dubitare poterunt. Recognoscere debuisset Bellarminus quæ ad Chrysostomi testimonium regerit, & nunquam in dura illa verba prorupisset. Ita loquitur: (c) S. Joannes Chrysostomus explicat verba B. Pauli de testimonio, quod Spiritus Sanctus perhibet, dum efficit in nobis, ut clamemus Abba Pater: Ex quo testimonio certissimè colligitur, eos, qui verè & ex corde dicunt Abba Pater, esse Filios DEI. Nam illa vox est à Spiritu Sancto, qui nullâ ratione falli potest. Hoc est Bellarmine quod nos volumus: & contra TE urgemus. Argumentamur: Quicumque verè & ex corde dicunt, Abba Pater, illi sunt Filij DEI. Omnes fideles verè & ex corde dicunt, Abba Pater. Ergo sunt Filij DEI. Ergo sunt in gratiâ apud DEUM. Et quandoquidem priùs certissimè colligi potest, cur non & posterius? Neque quicquam valet instantia de impijs & hæreticis, qui orent Pater noster, neque tamen sint verè Filij DEI. Nihil nobis cum istis est negotij, qui uti scire possunt ex Scripturâ, vel potius debent, Spiritum Sanctum non habitare (d) in ejusmodi domicilijs, ita & scire possunt & debent, preces suas, quascunque etiam fundant, nullas esse. Nos de fidelibus agimus, quos ex continuis precibus suis tanquam infallibilibus notis certissimè colligere posse affirmamus, quod sint filij DEI, id quod Bellarminus sibi contradicens nobiscum etiam confessus est. Et quis unquam nostratum Theologorum ita crudè argumentatus est. Quicumque dicunt Abba Pater, illi sunt Filij DEI: quod si factum fuisset, mirum quod non Bellarminus subsumpserit: *Psit acus dicit Abba Pater.* E. Si nos eo argumentandi genere uti vellemus, Pontificijs non parum negotij facessere possemus. Hoc ipsis proponimus argumentum: Quicumque supplex orat Ave Maria, ù est Pontificius. Diabolus supplex orat Ave Maria. E. est Pontificius. Minorem pro nobis Martinus Isengrinus (e) probare potest, qui de

(b) 1. Cor. 3. v. 16.

(c) l. c. c. 10. p. 245. lit. F.

(d) Sap. 1. v. 5.

(e) Vide T 5. B. Gerh. de Eccl. p. 1266. 1267.

D. 3.

Diabo-





Diabolo narrat non hoc modo, quod aliquoties supplex recitavit  
 Orationem Dominicam & Angelicam salutationem, sed etiam quod  
 apud B. Mariam intercesserit, O Maria, gratia & misericordia tua  
 sit super omnes illos, qui hanc capellam visitant, ab ora pro omnibus illis.  
 De Majore videant Pontificij. Frustrà denique est quod Bel-  
 larminus nobis gloriantes Judæos opponit, qui nil nisi DEUM  
 Patrem in ore habuerunt. His, quia se non gerebant, ut filios  
 DEI decet, (erant enim (a) sanguinarij) meritò respondit Chri-  
 stus, Vos ex Patre Diabolo estis: Quid verò hoc ad fideles? qui Pa-  
 trem Spiritu & veritate (b) adorant. Nulla hinc est sequela. Ve-  
 rius hoc suæ sectæ hominibus applicari potest, qui Judæis hinc  
 in re adeò similes sunt, ut lacti lac esse potest: dum ore Jesum  
 crepant, manu necant, id est, veros Jesu cultores ferro & igne  
 persequuntur, & Christianorum sanguinem non minus, quam  
 illi, CHRISTI, sitiunt. De quo alibi agitur.

(a) Joh. 8.  
v. 37.

(b) Joh. 4.  
v. 23.

XLVI. Nos ad Becanum pergimus, cui etiam obviam eun-  
 dum est. Is infallibilitatem testimonij illius quoad nos ideò ne-  
 gat, quia non possit à suggestione Diaboli internosci, qui se in angelum  
 lucis transfigurare queat. Id quod est falsissimum. Quorsum enim

(c) 1. Joh. 4. Johannes filiolos suos hortaretur, ut probarent (c) Spiritum, si verax  
v. 1. à mendaci dignosci haud possit. Imò verò, quia (d) dignosci

(d) ib. v. 6. possunt, si ad verbum DEI attendamus, accuratè poterimus  
2 Joh. v. 10. nos suggestiones Diaboli à Spiritus Sancti testimonio discrimi-  
minare, modo utriusque motus ad Scripturam Sacram tan-

(e) Matt. 4. quam ad Lydium lapidem exigamus. Ex eà enim, cum Spiri-  
v. 6. tus Sancti vox sit, tutò concludere possumus omnem mo-  
tionem quæ cum Sacrà Scripturà undequaque congruit, Spiri-  
tus Sancti testimonium esse, non verò Diaboli, qui nunquam  
se adeò callidè geret, quin fidelis fraudem ejus, si scripturam  
in consilium vocet, & suggestiones istius Nequam ad eam  
examinet, possit (e) deprehendere, quamcunque etiam spe-  
ciem præ se ferat. Vel enim persuadere conatur, quia sumus  
DEO reconciliati, ut peccatillo huic vel illi ne adeò vereamur  
frenum laxare, si quidem habeamus placatum Patrem, qui non  
adeò rigidus futurus sit in nostros novos Censor, sed pro pa-  
ternâ suâ indulgentiâ, levicula illa non sit curaturus. Sed hoc  
quic-



quicquid est suggestionis, non esse à Spiritu Sancto, sed à ma-  
ligno illo, Scriptura docet, quæ nos monet, ut omnibus pecca-  
tis (a) valedicamus, quia in gratiam recepti sumus. Vel nos ad  
*Φιλανθία* deducere laborat, ut nobis ipsis placeamus, nostræ  
sanctitati confidamus: Verùm & hanc iniufurationem Dia-  
bolicam esse, Scriptura monstrat, quæ omnem hanc gloriatio-  
nem *excludit*, (b) *reprehendit*, (c) *prohibet* (d). Atque idem de o-  
mnibus Satanae suggestionibus esto & fiat iudicium. II. Te-  
stimonium Spiritus ex eo *dubium* reddi blaterat, quia *impiis* & i-  
*piis commune sit*, utriq; enim à Spiritu Sancto *pulsentur*, proculdubio  
digitum intendens ad locum illum Apocalypticum, (e) *Etce ego*  
*sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam & aperuerit ja-*  
*nuam, intrabo ad illum & cenabo cum illo & ipse mecum*. At nos re-  
spondemus 1. *negando*, testimonium hoc Spiritus Sancti & pijs  
& impijs commune esse. Cum enim testimoniū hoc sit de *ado-*  
*ptione iam facta*, nunquam poterit illud esse in impijs, nisi veli-  
mus asserere *Spiritum Sanctum* id testari factum esse, quod ta-  
men factum non est: quo ipso veritas Spiritus Sancti vacilla-  
ret, imò ipse Spiritus, Sanctus esse desineret, cum id faceret  
ipse, quod tamen severè sub pœna æternæ mortis, (f) *ne fiat*,  
prohibuit. Quòd verò illi, quibus Spiritus Sanctus hoc testi-  
monium perhibet, *tantum sint renati* & credentes, nec alij esse  
possint, & Apostolus claris verbis affirmat, (*Sunt enim, qui Spi-*  
*ritu DEI ducuntur*, v. 15. *qui per Spiritum Adoptionis clamant Abba*  
*Pater*, v. 16.) & *rei testate* conditio demonstrat. Testatur enim:  
Spiritus Sanctus, *ὅτι ἐσμεν τέκνα Θεῶν*, quod simus filij DEI, non  
quod esse possimus. 2. Objectum *dictum* explicando: Non  
probat eo dicto, quod eo probari debuit. Nam *pulsatio* ista,  
& hæc *testificatio* non sunt *aquipollentia*: Pulsatio illa fit à Spiritu  
Sancto, ut sibi aditum præparet, quo dein admitti queat; &  
fit per externam verbi prædicationem sive lectionem, per  
quam Spiritus Sanctus intus efficax esse vult, & etiam ad man-  
tina corda emollire, neque vult tantum sed etiam rem ipsam  
aggreditur & actu pulsat. Testificatio verò tum demum fit,  
quando ad pulsationem factam nobillissimo illi hospiti per  
fidem donatam (g) *fores cordis aperiuntur*, ut intrare possit  
atque

(a) Rom. 6. v. 1. 12. 13.

(b) Rom. 3. v. 27. Eph. 2. v. 9. 1. Cor. 1. v. 29.

(c) 1. Cor. 4. v. 7.

(d) Jerem. 9. v. 23. 24.

(e) Apoc. 3. v. 20.

(f) Exod. 20. v. 16.

(g) Gal. 3. 2.





atque etiam intret, quo intrante, sequitur mutua illa coenatio. Distincti igitur hi actus Spiritus Sancti non sunt confundendi, prior est *praesentiae assistentis*, posterior *inhabitantis*, quae distinctio nec ab hoc dicto aliena est: *alius enim actus est Spiritus Sancti pulsantis, alius apertis foribus domicilium intrantis & in eo coenantis*. Et quemadmodum, qui adhuc *fores* pulsat, nondum est in *edibus*, sed praestolatur, dum admittitur, neque de admissione sua testari potest; quod demum fit, quando ingressus est: ita etiam Spiritus Sanctus quando ostium cordis nostri pulsat, ante ostium stat, nondum verò in ipsis aedibus, idè neque id ipsum potest testari; admissus verò per fidem, tum demum suam praesentiam & inhabitationem Spiritui nostro contestatur. Hæc igitur cum distincta sint, pulsatio videlicet, & ingressus sive inhabitatio, neque semper conjuncta: cum à quamplurimis pulsanti Spiritui non aperiatur ostium, sed præcludatur, neque præcludatur tantum, sed & ipse à foribus (a) abigatur, malè fit, quando ab hac ad illam concluditur, & quia pulsatio per vocationem contingit etiam irrogenitis, iisdem & restitatio Spiritus Sancti jam inhabitantis communis esse contenditur, quod neque ex adducto, neque ex alio loco unquam probari poterit. Quod verò alia ratio sit Spiritus Sancti pulsantis, alia intrantis, agnoscit ipse (b) *Becanus*, quando ita differit: *Postremò quæri potest, quomodo incipiat Spiritus Sanctus habitare in nobis? In scripturis invenio hunc modum & ordinem. Primò, venit & pulsat ostium cordis nostri Apoc. 3. v. 10. Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & apernerit mihi januam, introibo ad illum & coenabo cum illo, & ille mecum. Quæ est vox ejus? Illa quæ apud Zachariam cap. 1, 3. exprimitur: Convertimini ad me, & convertar ad vos. Simul atque hanc vocem audierimus, ingreditur ad nos Spiritus, & locum habitationis sibi parat. Quia verò hoc discrimen agnoscit *Becanus*, quæ sit, quod hîc distincta confundat, ut coquus, olera? neque pulsationem ab introitu per fidem, & eum sequentem distinguat contestationem. Quòd verò garrit, nemini constare, se eo modo affici, quo amici DEI afficiuntur, verba sunt: aliud demonstrat clarissimus textus. Si enim Spiritus Sanctus contestatur Spiritui nostro, quòd sumus filij DEI;*

(a) Act. 17.  
 v. 51.

(b) lib. 1.  
 Man. c. 16.  
 q. 2. §. 7.  
 p. 406.



DEI; non possumus magis de gratioso motu certiores reddi, quam per hoc ipsum testimonium. Hoc enim, quia est testimonium summi testis, qui neque fallere potest neque falli, summum quoque habebit momentum, ut nostram nobis adoptionem persuadeat, & nos de genuinis Spiritus Sancti motibus certos faciat; eo fine enim perhibetur testimonium, non tam, ut res certa fiat, quam ut nos certi. *Vera* enim res esse potest, etsi nobis non videatur. Quando verò testimonium adducitur, nihil aliud intenditur, quam ut nobis rei veritas persuadeatur ut nos de eadem certifimus, neque quicquam dubitemus. Ita autem cum se res cum omni habeat testimonio, sive majus illud sit, sive minus. Quis negaret Spiritus Sancti, infallibilis illius testis divinum testimonium multò magis conscientiam renatam de adoptione, peccatorum remissione, reconciliatione, *ἀμεταμέτρητον* reddere, ut nulla dubitandi ratio apud hominem credentem superesse possit? Quod si fit, ut certò fit; Spiritus Sanctus enim apud hominem fidelem hoc suo fine frustrari non potest, aut nunquam sensit *Becanus* hoc testimonium & sic non fuit fidelis, aut si sensit, & fidem non adhibuit, infideli factus est deterior. Sed quid hoc dico? imò nunquam sentire potuit, quamdiu perversam suam de justificatione doctrinam, quam calommo defendit, animo amplexus est. Quod enim non est, id Spiritus Sanctus contestari non potuit, nisi eum velimus statuere sibi ipsi contradicentem, quòd *aliam* justificandi rationem in *Scripturâ* revelaverit, *aliam* in corde *Becani* contestatus sit, quòd tùm demùm credimus, quando Spiritus Sanctus, futurus est Spiritus contradictionis, id est, nunquam. Interea tamen hoc concedere possumus, quòd aliqua testificatio Spiritus S. *Becano* & alijs etiam *impijs* contingere potuerit & etiam contigerit & contingat, quæ ad *presentiam Spiritus Sancti assistentem* pertinet, & per vocationem tum *externam* tum *internam* perficitur, videlicet testificatio de *irâ Dei adversus peccatû*, de *universali Patris dilectione*, de *universali Filij merito*, de *seriâ DEI voluntate*, ut omnes in *Christum credant*, illud enim etiam spectat (a) ad Spiritus Sancti officium: at verò illam *testificationem*, quæ ad *presentiam Spiritus Sancti inhabitantis*, referenda est, ulli sive *impio* sive *perversè de*

E

ipsâ

(a) Joh. 16.

v. 8 9. 10. 11.



ipsa justificatione sentienti obvenisse, aut obvenire, affirmare non possumus; cum illa justificationem hominis insequatur, non antecedit, nisi enim res ipsa sive justificatio sive adoptio præsens sit, & facta, testificatio etiam de illâ esse non potest. Nam de cujus rei præsentiâ testificatio fieri debet, eam antequam testificatio fiat, verè existere necesse est: aliàs falsa esset testificatio. Sed satis de primo dicto, vel etiam plus satis. Producemus igitur alterum dictum pro confirmandâ nostrâ Minore supra posita.

- XLVII. Illud verò hoc est: *Postquam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis, qui est arrhabo (a) hereditatis nostræ in redemptionem acquisitæ possessionis in laudem gloriæ ipsius.* In hoc dicto significantissima verba occurrunt, quæ Orthodoxam sententiam mirè confirmant. Nos notamus, quòd omnes credentes dicuntur obsignari. Si verò omnes credentes obsignantur, omnes etiam credentes certi esse poterunt, ut de hereditate ad eundâ, sic & de adoptione factâ: hæc enim non præcedente, nulla sequitur hereditas, quæ est (b) filiorum. Observamus tamen certitudinem & de adoptione præsentis, & de hereditate futura esse infallibilem, sed hæc ipsius hypotheticam, illius absolutam. 2. ipsum verbum *obsignari*, per quod omnis tollitur dubitatio. Notum est enim vel maximè, quòd quæ obsignantur, ideò obsignantur, ut ansa dubitandi omnis præcidatur, & quæ obsignantur, certa sint, & quibus obsignantur, certi. 3. Vocabulum *Arrhabonis* quod non minus diffidentiae removendæ inservit. Est enim Arrhabo, (quæ vox *Hebræa* est pro *sapientia* Gen. 38. v. 17. & descendit à Rad. אָרַבָּ *promisit, spondit, fidejussit*, Gen. 43. v. 9. cap. 44. v. 32. Prov. 17. v. 18.) quodlibet *symbolum quo ratificatur aliqua promissio aut fidejussio majoris cautionis.* ergo Cujus vocis *usus* quamvis *varius* sit, ad Spiritum Sanctum tamen, quantum *ad finem*, qui est *confirmatio promissionum*, optimè accommodari potest. Sive enim (c) *obsidem* significet; is est *Spiritus Sanctus*, qui pacis & fœderis pignus nobis à Deo datur: sive (d) *fidejussorem*; is est *Spiritus Sanctus*, qui quasi sponsor DEI apud homines in salute applicandâ; sive (e) *pignus*, is est *Spiritus Sanctus*, qui nobis pignori datur à DEO, ut firma certaq; nobis sit

(a) Eph. 1, 13

(b) Rom. 8.  
v. 18.

(c) 2. Reg. 14  
v. 14.

(d) Gen. 43.  
v. 9.

(e) Neh. 5, 3.

lit



fit promissa salus: sive *arrham* (a) *sponsalitiã*; is est Spiritus Sanctus, qui cuius animæ fidei tanquam Sponsæ Christi datur, ut eam de futuris (b) nuptijs confirmet: sive *pecuniam illam, que in emptionibus primò dependitur, ut pars solutionis, & totius summe persolvenda fidem facit*; is est Spiritus Sanctus, qui nobis spe, non re salvis certam facit *perfectam* nostri redemptionem, & *consummandam* salutem in alterâ vitâ, æternæ denique vitæ, cuius in hâc vitâ *gustum* (c) tantùm habemus, plenariam perceptionem. (c) Heb. 6, 5. Filius qui hæc deducta videre cupit, is, si ipsi hoc lubentiæ est, consulat disputationes (d) *Admodum Reverendi, Amplissimi, & Excellentissimi Viri Dn. Henrici Hopfneri S.S. Theol. Doctoris & in Academia Lipsiensi Professoris celeberrimi, adversus Jesuitam Christoph. Majeram* habitas. Cæterùm quæ nos inde attulimus, satis superq; ostendunt, credentem certum esse posse de gratiâ DEI, remissione peccatorum, de suâ justificatione, cum obsignatus sit arrhabonẽ Spiritu Sancto, unde hoc emergit argumentum: *Quicumque obsignati sunt arrhabonẽ Spiritu Sancto, illi certi sunt, esse possunt & debent, de gratiâ DEI. Omnes credentes obsignati sunt arrhabonẽ Spiritu Sancto. Ergo certi sunt, esse possunt & debent, de gratiâ DEI.* Major patet. Minor est Apostoli, quæ etiam pluribus (e) locis confirmari potest.

(a) Tom. 7.  
B. Gerh. p.  
240. 241.  
(b) Apoc. 19  
v. 7.  
(c) Heb. 6, 5.  
(d) disp. 9.  
cap. 2. A-  
phor. 6. § 21.  
22. & seqq.  
(e) Eph. 4.  
v. 30.  
1. Cor. 1, 22.

### CAP. II.

#### MEMBRUM II.

XLVII. Haftenus certis Scripturæ dictis certitudinem gratiæ certam dedimus, sequitur, ut jam probatissima exempla producamus eorum hominum, qui de DEI erga se gratiâ certi fuerunt. Quodcunque *sanctissimi Viri certitudine Fidei sibi promittere potuerunt, & in quo omnibus fidelibus sunt exemplo, de eo nulli fidelium est dubitandum.* Atqui *gratiam DEI sanctissimi Viri certitudine Fidei sibi promittere potuerunt, & in eo omnibus fidelibus sunt exemplo. E. de gratia DEI nulli fidelium est dubitandum.* Majoris probationem si quis postulet, etiam si non adeò necesse sit, cum illa per se satis clara, dare possumus hanc, quod non modo *Apostolus Paulus unam* (f) esse fidem, doceat, sed & *Petrus* testetur, (f) Eph. 4, 5. quod omnes fideles *eandem* (g) *cum Apostolis sortiantur fidem, imò* (g) 2. Pet. 1, 1.

& cum





(2) Act. 15. & cum omnibus (a) fidelibus V.T. eandem habeant. Minorem probare possumus plurimis exemplis, nos tamen ea proferemus tantum, quæ præ cæteris plurimi fiunt.


XLVIII. I. Habemus exemplum Abrahami, quem etiam ipse (b) Apostolus Paulus producit, dum ejus fidem nobis ante oculos ponit, i. omnem *hesitationem* ab eâ removendo: *Abraham non fuit infirmatus fide, ad promissionem DEI non hesitavit ob incredulitatem.* 2. summam eidem *fiduciam* tribuendo; *robustus factus est fide, tribuens DEO gloriam certâ persuasionem conceptâ, quod is, qui promiserat, idem potens esset & præstare.* 3. in exemplum eam proponendo; dum *Abrahamum* (c) *Patrem vocat omnium credentium*, qualis erat non per *generationem*, neque per *regenerationem*, sed per *exemplum*, ut ipse *Apostolus* interpretatur; qui clarè asserit: *Non scriptum est autem propter illum (Abrahamum) tantum imputatum fuisse illi, sed etiam propter nos, (d) quibus imputabitur creditibus in eum, qui excitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis.* Quæ omnia immotum nobis præbent *argumentum*. Qualis fuit *fides Abrahami*, talis debet esse *fides omnium credentium*. Sed *Abrahami fides* fuit *certa fiducia recumbens in promissiones divinas*. E. talis etiam *fides* debet esse *omnium credentium*. Quia: verò *DEUS* omnibus *credentibus* gratiam suam infallibiliter promittit, omnes etiam *credentes* ad exemplum Abrahami de *Gratia DEI* nullatenus debent dubitare, si Abrahami velint insistere vestigijs.

XLIX. Sed habet *Bellarminus* ad illustrissimum hoc exemplum quod excipiat i. in genere ad hoc & alia exempla. i. *Pauci illi viri (e) & ij valdè eximij fortasse peculiari revelatione certi fieri meruerunt de gratia, quam apud Dominum invenerunt.* 2. Deinde *Scriptura dum Sanctos commendat & eorum justitiam & virtutes laudat nos certos reddit, quibus id utilissimum erat, potius quam illos.* 2. in specie ad *Abrahami* exemplum: ubi *peculiarem revelationem* intervenisse probat, quando ad ipsum dictum est: *Nunc cognovi quod timeas Dominum, id est, nunc te cognoscere feci quod verus sis cultor & amator DEI.* R. i. *Dubitanter* loquitur *Bellarminus* de *peculiari* revelatione certis pijs factâ quam probare debebat. *Nostrium* igitur *NON FORTASSE* tantum ponderis habet, quantum ipsius *FORTASSE*. 2. *Ridicula* est ratio: quod *Scriptura*

(c) l. d. cap.  
ii. p. 248.  
Lit. A.



ptura non eam ipsos sanctos quam nos certos reddat quibus id sit uti-  
 lissimum. Nam i. si *Bellarminus* hoc velit, quod *Scriptura* nobis  
 testetur, qualis fuerit horum Sanctorum justitia, quales virtu-  
 tes; cui testimonio nos non possimus non fidem adhibere, ut-  
 pote divino; quod ita se res habuerit; tum utique concedere  
 possumus, ipsam *Scripturam* hos viros de sua justitia & virtu-  
 tibus non fecisse certos: quippe quae nondum scripta fuit, cum  
 Abraham, Abel, Henoch, Noe vixerunt. Sed quid hoc ad rem?  
 sufficit, quod *Scriptura* testetur, eos de gratia DEI certos fuisse,  
 quanquam eos non faciat certos. Alios sane certos fecit, qui  
 ipsimet de sua fide scripserunt, qualis *David*, *Hiob*, qui inspiran-  
 te *Spiritu Sancto* & suamet ipsorum exempla divinis literis in-  
 seruerunt. 2. Accipimus, quod *Bellarminus* concedit, nobis u-  
 tile fuisse, quod *Scriptura* nos de istorum virorum justitia certos red-  
 dat. Sed quam ille intelligit utilitatem? an nudam rei factae  
 notitiam? ea non adeo magna, ut etiam eandem cum omnibus  
 fidelibus participant; qui vel legere sacras literas queunt vel  
 lectas audire; etiam hypocritae, impij, infideles; imo ipsi Diabo-  
 boli. Alia igitur erit utilitas, quae est, nos commonefacere, ut ean-  
 dem ad salutem grassetur via, quam Viri illi nobis praeverunt: qui ut  
 communis (a) *Scripturae* finis est, ita & horum ipsorum exem- (a) Rom. 15.  
 plorum & praecipue Abrahami, quod supra (b) deduximus. v. 4.  
 3. Abrahamum de sua apud DEUM gratia ex peculiari revela- (b) 2. Tim. 3, 16.  
 tione certum fuisse factum negamus: aliud dicit Apostolus, (b) Thef. 48  
 qui Abrahami certitudinem (c) divinae promissioni innixam (c) Rom. 4.  
 fuisse confirmat. Nec contrarium evincit allatus locus, qui v. 20. 21.  
 non agit de cognitione Abrahami; quia jam ante justificatus (d) (d) Gen. 15.  
 non poterat primum post susceptam Filij sui immolationem v. 4. 5. c. 11.  
 cognoscere, se verum DEI cultorem esse, tot jam Fidei suae edi- v. 33. 4. 35.  
 tis indicijs, quae *Epistola* (e) ad Hebraeos commendat; sed agit de (e) Heb. 11.  
 cognitione DEI, qui humano more loquens, de se dicit, nunc de v. 8. 9. 10.  
 mum cognovi, quia id quod antea perspectum habebat, jam (f) Gen. 24.  
 novo opere inclarescebat: sicut (f) fieri solet quando ea, quae v. 14. Jos. 22.  
 antea scivimus, re ipsa experimur. Et haec experimentalis co- v. 34. 1. Reg.  
 gnitio etiam alibi (g) DEO in sacro Codice tribuitur nec inso- 17. v. 24.  
 lens haberi potest. *Objicit* quidem nobis *Bellarminus* authorita- (g) Deut. 8.  
 tem Job 31. v. 6.





tem *Augustini*, qui exponat vocem illam *per cognoscere te feci*:  
 Sed Respond. 1. Expositionem *Augustini* non esse *hanc tantum*,  
 quandoquidem etiam hanc dat explicationem: *Novi, hoc est,*  
*in notitiam totius mundi produxi & patefeci fidem & obedientiam*  
*tuam. Cognovit cognitione approbationis quod antè ipsi non erat inco-*  
*gnitum notitiâ visionis; cognovit in manifestatione operi, quod antea*  
*latebat occultum in affectu cordis: quæ posteriora verba nostra fa-*  
*vent sententiæ.* 2. Dicimus, si vel maximè prior stare deberet  
 expositio, eam nobis non incommodare, siquidem ne hæc qui-  
 dem notitia est peculiaris revelationis, utpote quæ ex certo ca-  
 su oriunda, quem *DEUS Abrahamo singulariter* objecit. Quod  
 verò *DEUS* facit ut credenti innotescat per singulare aliquod  
 factum, illud non immediatè revelat, sed ex certo medio elicit  
 notitiam certam in homine. Id quod etiam *jam antè* factum  
 erat, cum *Abrahamo*, ut lares patrios desereret, præciperetur.  
 Cui mandato divino dum se *Abrahamus* præbebat obsequen-  
 tem, ex eo quod *DEUM* timeret, *tanquam ex infallibili signo* ipsi  
 constare poterat. Nisi enim *DEUM* timuisset, ne pedem qui-  
 dem movisset ex patriâ. Sic etiam num noscere hunc vel illum  
*DEUS* facit, quod timens *DEI* sit, quando ipsi vel *exilium* obji-  
 cit, quod propter *veritatem Evangelicam* suscipiendum, vel *paup-*  
*ertatem*, quæ *æquo animo* ferenda, vel *pauperes* quibus *benefacien-*  
*dum*: in quibus omnibus si quis se gerat *Christianum*, cognos-  
 cit se *DEI* amantem esse & *DEO* amatum. Sed quicquid hu-  
 jus rei sit, nos supra datam explicationem retinemus, quæ et-  
 iam est *B. Lutberi*, Is enim super hunc locum (a) postquam *Pa-*  
*lat. V Vitt. trum* interpretamenta recensuerat, ita concludit: *Habet DEUS*  
*P. 307. aliqua humano captui accommodata, ideòq; hanc phrasin (nunc co-*  
*gnovi) simpliciter accipiendam puto, tamen si Patrum expositionem non*  
*reprobo, quod loquatur DEUS humano more, tanquam ex illâ obedien-*  
*tiâ tum demum perspexerit pietatem Abrabæ & verum timorem.*  
 L. Sed nondum satis *exceptionum*. *Becanus* insurgit & lo-  
 cum hunc Apostolicum alio studet enervare modo. (b) *Negat*  
*cum agere de certitudine remissionis peccatorum, sed de certitudine mul-*  
*tiplicandi seminis.* Resp. 1. *Concedamus* verò ita se rem habere,  
 id enim nostrum non infringit argumentum, quin etiam sic  
 con-

(a) Tom. 6.  
 Lat. V Vitt.  
 P. 307.

(b) lib. 1.  
 Manual. c.  
 16. quæst. 5.  
 9. 7., p. 432.



contra Becanum militet. Quemadmodum enim se fides Abrahami circa promissionem de multiplicando semine habuit, ita nostra fides se habere debet circa promissionem de Gratia DEI. Abrahami enim fides docet, quomodo se cujuscumque fidelis fides circa promissiones divinas habere debeat. 2. Negamus, locum istum tantum agere de certitudine multiplicandi seminis. Respectus enim simul & quidem precipuus ad benedictum illud semen habetur, quod erat (a) Christus, in quo (b) omnes promissiones Etiam sunt & Amen. Imò verò si hæc fides tantum ad futuram Isaac generationem respexisset, quomodo Apostolus subjungere potuisset, quod id Abrahamo ad justitiam imputatum sit, & omnibus credentibus imputandum. Unde hoc argumentum: Id quod Abrahamus justificandus in ipso justificationis actu credidit, illud Abrahamo imputatum fuit ad justitiam & omnibus Abrahami spiritualibus filiis imputatur. Atqui generatio Isaaci non imputata fuit Abrahamo in justitiam, neque omnibus Abrahami spiritualibus filiis imputatur. E. generatio Isaaci non fuit id, quod Abrahamus justificandus in ipso justificationis actu credidit. Quid verò illud tandem fuit? Nihil aliud, quam promissa in benedicto semine benedictio, qui Abrahamo fide eam recipienti ad justitiam imputata fuit, & omnibus fidelibus sive spiritualibus Abrahami filiis imputatur, uti hoc ipsum Amplissimus Dn. Præses in Inaugurali de Religione Abrahamitica (c) disputatione, non modò ex hoc ipso loco (d) sed etiam ex Genesi & Epistolâ ad Galatas (e) deduxit.

LII. 2. Jobus nobis exemplum præbet: cujus fides qualis fuerit, ipsius confessio (f) declarat. Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursus circumdabor pelle meâ & in carne meâ videbo DEUM: quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspiciuntur & non alienus: reposita hæc spes in sinu meo. Quæ hîc dubitatio? nulla. Jobus enim non dubitat, sed scit (g) certò certius, quid verò? Redemptorem. Cujus? suum. At nil præterea? imò verò confidenter ait: In carne meâ videbo DEUM, quem ipse videbo & non alius. Magna *πληροφωρία*! Hæc & nos armemus contra venenata dubitationis tela. Si enim Jobum tenemur imitari omnes (h) impatientiâ, cur non multò magis in fide, quæ istam (i) parit. Nunquam enim in hunc hominem patientia potuisset cadere tanta, nisi in ipso fuisset tanta fides.

(a) Gal. 3. v. 6. 14.  
 (b) 2. Cor. 1. v. 21.  
 (c) Theol. 24.  
 (d) Rom. 4. v. 20. 19. 24. 25.  
 (e) Gen. 12. 3. Gal. 3. 13. 14.  
 (f) Job 19. v. 25.  
 (g) Gen. 15. v. 13. c. 48. v. 19. 1. Samuel. 24. 21. Ps. 39. v. 2.  
 (h) Jac. 5. 11.  
 (i) c. 1. v. 3. Rom. 5. v. 2. 3. 4.





LII. 2. Producimus exemplum Pauli indubiè profitentis:  
 (a) Rom. 8. v. 38. 39. *Mibi persuasum habeo, (a) quod neque mors neque vita neque angeli neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione DEI, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Hic notamus, quòd non modo de se loquatur Apostolus, ut doceat se tantum certum esse, sed quòd omnes etiam fideles includat, ut indicet, omnes etiam credentes certos esse. Verùm contra veniunt Bellarminus, Becanus, Costerus. Bellarminus (b) excipit I. Paulum loqui de certitudine predestinationis, ut sensus sit, certum esse, omnes predestinatos perseveraturos in charitate DEI. Resp. i. Etsi de certitudine Predestinationis agatur, non tamen sequitur, quod certitudo Gratiæ sit excludenda. 2. Imò verò si credentes de sua Predestinatione certi esse possunt, id quod Pronomina applicantia, & fundamenta Paulina versibus antecedentibus proposita monstrant, cur non & de Gratia justificante? Consequentiam firmam esse non diffiretur Bellarminus, quando ad locum aliquem Bernardi, dictum Salomonæum, Nescit homo, de Predestinationis incertitudine explicantis, regerit: Incertitudo Predestinationis (c) non pugnat cum incertitudine gratiæ: imò una colligitur ex aliâ. Si verò ex incertitudine Predestinationis ad incertitudinem gratiæ collectio firma est, itidem ex certitudine Predestinationis ad certitudinem gratiæ firma erit. Quin & ipse Apostolicus loquendi modus illud ipsum infert. Qui enim certus est, se non posse separari à charitate DEI, eum necesse est scire, quod sit DEO charus. Omnis enim separatio præsupponit unionem, qualiscunque illa tandem sit. II. Excipit & (d) Becanus & (e) Costerus. Verbum πῆπισμα non dicere certitudinem fidei, sed quandam persuasionem, ad quam gignendam satis sit certitudo conjecturalis. Cui explanationi, ut faciant fidem, aliqua loca Rom. 15 v. 14. 2. Tim. 1. v. 5, producunt. Resp. i. Hæc exceptione destrui sententiam aliorum Pontificiorum, qui volunt, Paulinam certitudinem esse revelationis singularis. Quæ sententia si obtinere deberet, certitudo illa Pauli foret infallibilis, & verbum πῆπισμα hic non qualemcunque, sed certam, firmam & indubitatam persuasionem denotaret. 2. Concedimus quidem verbum hoc esse*

(b) Tom. 4.  
de Justif.  
lib. 3. c. 9.  
p. 244. Lat.  
E.

(c) Ibid. c. 4.  
p. 240. Lit.  
G.

(d) In Manual. lib. 1.  
c. 16. §. 10.  
(e) In Enchirid. p.  
284.



esse generale, & quandoque conjecturalem certitudinem notare, id quod ex circumstantiis textus facile deprehenditur, non tamen semper, quemadmodum & plurima loca (a) docent, & Estius (b) etiam agnoscit. Quod verò hoc loco πεπισμου notet infallibilem fidei certitudinem, totus contextus clamat. Certitudinis enim hujus fundamenta Apostolus exponit, quæ non possunt non indubiam gignere certitudinem: qualia sunt; in Christum infusio v. 1. reatus sublatio, ibidem. Gratuita absolutio v. 3. 4. 33. Spiritus Sancti inhabitatio v. 9. 10. 11. Justificatio v. 16. Auxilium v. 26. Decreti divini infallibilitas v. 28. 29. Divina protectio v. 23. Christi satisfactio, ad DEI dextram collocatio & sessio v. 34. Ex quibus omnibus tandem Apostolus concludit, πεπισμου γαρ, & se certissimum esse profiteretur de Gratiâ DEI. Verbum igitur hoc de conjecturali persuasionem explicari non potest, nisi omnia illa fundamenta in dubium quis vocare velit. 3. Quod loca citata attinet, reponimus, Adversarios nondum evicisse, illa de tali agere certitudine, quæ cum dubitatione conjuncta sit. Prior quidem locus Adversariorum opinioni obest magis, quam prodest. Apostolus enim in eo totus est, ut Romanis persuadeat, se nullo modo de ipsorum bonitate dubitare: uti nec poterat. Cum enim Romani doctrinam Apostolicam semel receptam adhuc tenerent integram ita, ut ipsorum fides in toto mundo predicaretur, certus erat Apostolus & quidem certitudine fidei, eos bonitate plenos esse. Sciebat enim prædicati verbi divini eam esse naturam, ut nunquam vi promissionis divinæ (c) revertatur vacuum, sed semper apud omnes, si non parem, nunquam tamen nullum fructum (d) producat. Concludimus ergo hanc Pauli certitudinem non fuisse conjecturalem, sed divinæ fidei, quia substratam habuit infallibilem DEI promissionem & generalem (e) de efficaci gentium vocatione & specialem de sui ministerij (f) fructu, qui se apud Romanos exseruit adeò luculenter, ut vel inde certus esse potuerit. Apostolus de Romanorum fide, & pietate infallibiliter. Fieri enim non potest, ut omnes in tali Ecclesiâ simul sint hypocritæ. Accedit, quòd Apostolus indefinite loquatur: quo ipso etiam nostra hîc sententia firmatur,

F

& in-

(a) Rom. 14.  
v. 14. 2. Tim.  
v. 12.  
2. Cor. 12, 2. 3  
(b) In Com-  
ment. ad  
2. Tim. 1, v. 5

(c) Es. 55, 11  
(d) Marc. 4.  
v. 3. usq; ad  
v. 20. inclu-  
sivè.  
(e) Rom. 15.  
v. 9. 10. 11. 12  
(f) Rō. 15, 16.  
Act. 26, 18.





& infallibilis *Pauli* certitudo sit dilucidior. Nec *alter* locus du-  
 bitationem infert. Apostolus enim *Timotheum* quem per tot  
 experimenta fidelem cognoverat, ad perseverantiam fidei, quæ  
 in ipso erat *ἀνομιῆς*, ut ipse *Paulus* scribit, adhortatur.  
 Quia verò Apostolus adeò confidenter loquitur, quis eum tan-  
 tum *probabiliter* scivisse dicat *Timothei* fidem, præsertim si in  
 (a) 1. Cor. 12. v. 10. animum sibi revocet, in *primitiva* Ecclesiâ viguisse *donum* (a)  
*discretionis*, quo *Paulum* non donatum fuisse, dum non evin-  
 cunt Adversarij, nos id affirmare non verebimur, cum & cæ-  
 tera dona in hoc electo vase cumulata fuerint, & ille ipse te-  
 (b) 2. Cor. 12 v. 11. stetur, se in *nulla* re (b) etiam *summis* Apostolis inferiorem fuisse.  
 Jam verò scimus Apostolum *Petrum* isto dono ornatum fuisse,  
 (c) Act. 5. v. 2. 3. (uti patet (c) ex detectâ *Ananiae* & *Saphiræ* hypocrisi) cui si in nul-  
 lâ re, nec in hac potuit esse inferior. 4. Ad testimonia *Pa-*  
*trum*, *Hieronymi* & *Ambrosii*, qui non legunt, *certus sum*, sed *confi-*  
*do*, quia truncata tam à *Bellarmino* quam *Becano* citantur, ut eo-  
 rundem mens non possit percipi (ex unicâ enim voce lata  
 significationis non potest colligi, utrum nobiscum senserint  
 an secus) aliud nihil respondemus quam eorundem citatio-  
 nem nobis suspectam esse vel potius nullam, cum illi tam in  
 nostram quam in ipsorum sententiam trahi possint pro diver-  
 sâ vocis significatione. Sed fraudem hanc detexit *Vir Magni-*  
*ficus*, *Reverendus admodum Amplissimus, Excellentissimus D. D. Jaco-*  
 (d) Tom. 1. disp. pro August. Confess. Coll. 2di disp. 17. Theol. 53. 54. bus *Martini*, *Præceptor meus, patriâ sanctitate colendus*, ad quem (d)  
 benivolum Lectorem remittimus. Quod si omnino Patrum  
 iudicio stare velint *Jesuitæ*, neque eorum testimonia nobis  
 defunt. *Bernhardus*, quem citat (e) *B. Meisnerus*, utique non legit  
 hic *confido* sed *certus sum*, id quod verba ejus nō obscure osten-  
 (e) In An- throp. faciâ t. a, neque cætera alia, quæ Apostolus tam multipliciter quam audacter  
 disp. 29. th. 46. enumerat, poterunt nos separare à *charitate DEI* quæ est in *Christo Je-*  
*su*. Verum nos contenti sumus robore hujus argumenti, etiam-  
 (f) 2. Cor. 1. v. 21. c. 4. si Adversarijs contempti, quod nobis exemplum *Pauli* præbet,  
 qui satis manifestè declarat, *omnium fidelium* fidem non aliter at-  
 que ipsius debere comparatam esse, cum omnes fideles & hic, ut &  
 (g) 1. Tim. 1. v. 16. (f) alibi includat, & se omnibus in exemplum constitutum fuisse (g)  
 asse-



asserat ab ipso *Christo*, qui in mundum venit, ut salvos faceret peccatores.

LIII. Plura quidem exempla possemus cumulare (omnes enim *Sancti*, quorum memoriam Sacra pagina æternitati consecravit, à nostris stant partibus, qui longâ serie in *Epistola ad Hebræos* (a) recensentur) sed impræsentiæ trigâ illa probatissimorum virorum contenti, colophonem huic disputationi imponimus, DEUM rogantes, ut nos confirmet usque ad finem in diem Domini nostri Jesu Christi, cui sit laus, decus & gloria in omnem æternitatem, Amen.



### Errata graviora benivolus Lector

ita corrigat.

- Thef. 2. in marg. (c) lege, r. Tim. 5. v. 12.
- Thef. 3. in marg. (d) l. Matt. 17. v. 20. Luc. 17. v. 6. s.  
(f) l. Act. 6. v. 8.
- Thef. 5. in marg. (n) l. Act. 13. v. 28.
- Thef. 9. in marg. (b) l. 2. Cor. 12. v. 9.  
(d) dele, c. 12. v. 9.
- Thef. 11. in marg. (m) l. Matt. 7.
- Thef. 19. lin. 7. l. fidelis.
- Thef. 29. lin. 1. l. *Est*.
- Thef. 32. lin. 10. l. fuerit.
- Thef. 37. in marg. (d) v. 12.  
lin. 18. l. respuunt.
- Thef. 39. lin. 11. significantissima.
- Thef. 43. lin. 25. l. fallibile.
- Thef. 45. lin. 31. l. inflammantur.  
lin. 54. l. ejusmodi.
- Thef. 46. in marg. l. Act. 7. v. 51.





Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

A faint horizontal line or decorative border across the middle of the page.

Another line of faint, illegible text below the decorative border.

Main body of faint, illegible text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.





05 A 433

ULB Halle

3

004 208 838




WOM











ΟΡΘΟΔΟΞΙΑΣ  
*De*  
CERTITUDINE GRA-  
TIÆ DEI,

*Adversus*  
Præcipuos Pontificios Bellarminum,  
Becanum & Costerum,  
ASSERTIO,

*Quam in*  
Celeberrimâ Wittebergenſi Academiâ  
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,  
SUB PRÆSIDIO

*Plurimum Reverendi, Ampliſſimi & Excellentiſſimi Viri*

DN. WILHELMI LYSERI,

S.S. Theol. Doctoris & Professoris celeberrimi, Præ-  
ceptoris, Promotoris & Inspectoris ſui omni ob-  
ſervantiæ cultu venerandi,

*Publico Examine ſubmittit*

GEORGIUS Gottleben / Lubecenſis,  
Auth. & Reſpond.

*Ad diem XVIII. Februarij, In Auditorio Majori.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
ANNO MDCXLI.